


2
6
124







LAELII, SIVE MONARCHI DVO,

VENTVRA Cœco Academico Trauagliato AVTHORE.

AD COSMVM MEDICEM, TVSCORVM PRINCIPEM.



BONONIAE,

Excudebat Ioannes Rubeus, auſpice Mercurio.

MDLXIII.

ILLVSTRISSIMO, ATQ. EXCELL.^mo COSMO MEDICEO, TVSCORVM PRINCIPI.

VENTVRA COECVS ACADEMICVS Trauagliatus, perpetuam dicit fœlicitatem.

COGITANTI *mihi sæpenumero mortalium euenta diuersissima, insperatos, incredibilesq́ casus, & auræ prosperè licet fluentis leuitatem; perbeati illi uideri solent (Illustrissime, atq; Excellentissime* PRINCEPS) *qui opibus uniuersis, cæterisqúe, quibus maximè delectantur homines, rebus: uirtutum omnium procreatricem, atq; parentem Philosophiam præposuerunt: cuius imperio, dictioni, potestati parere Fortuna (quæ sibi humanarum uẽdicat principatum rerum) minime dedignatur; qua nutriuntur animi, & ex corporibus euolant ad superos, seq́* DEO *quàm simillimos efficiunt. Hæc illa nimirũ sapientia est* (PRINCEPS *optime, atq; Clarissime) quæ neq; in publicis, neq; in priuatis, nec in forensibus, domesticisúe contractibus, neq; si tecum agas quid, nec si cum altero communices, conferas, atq; componas te deseret, aut errare patietur. Verum, certumq́ lumen, quo mentes rectè institutas ornare uo-*

luit rerum opifex, conditorq́; DEVS: quàm si tollas nihil profectò relinques homini, in quo magnus, præstans, clarus esse possit. O diuinam moderatricem animorum, rationis auspicem, contemplandi, meditandi inuentricem, sui cognoscendi, atq; expiandi authorem; Reginam sublimem, atq; insignem; quibus te laudis efferam? qua tua merita in omne genus hominum oratione prædicabo? Scio, Scio equidem me tanto muneri non sufficere. Quare altiori tubæ opus omnium integerrimum, atq; perfectissimum delegabo. Habes tu quidem Mater amplissima inuidos, multos, obtrectatores plures, maximam inimicorum turbam. Etenim uulgus ignauum, atq; imperitum tua numina non ualet perspicere, tuis misteriis nō potest initiari. Debilitatur enim stultorum acies, non secus te uidenda quàm solis intuendis radiis. Hanc igitur (PRINCEPS Celeberrime) in misera corporis cæcitate, mihi ab ineunte ætate amplectendam, sequendamq́; decreui. Itaq; cum maximam uitæ partem sim peregrinatus, omnes sæuientis impetus fortunæ, Philosophia duce hactenus superaui. Cumq́; SENAS me tandē contulissem, tuisq́; fælicissimis fretus auspiciis (PRINCEPS Illustrissime) humaniores aliquot annos literas essem publicè professus, facultatemq́; dicendi, quā alumnā existimo Philosophiæ: statui, tibi aduenienti si qua daretur occasio, non uacuis (ut aiunt) manibus, uenerabundum occurrere. Legeram ego quidem, semper uictimam numinibus offerendam esse, præsertim quò primum tempore colerentur. Quam meam sententiam illud oppugnabat (Tuscorum optime Parens) quòd nihil habebam, tantis auribus, tanti Principis maiestate dignum:

neq; poteram Phidiæ Mineruam effingere, in hoc præsertim maximo, mercenarioq; labore. Putaui tamen satius esse rudem, atq; impolitam tibi imaginem aduenienti donare, quàm nihil omnino donare. Cum præsertim meam in te, tuosq; clarissimos liberos obseruantiam, fidem, singularemq; beneuolentiam tibi quàm maxime uellem esse testatam. Accipies igitur geminos de Principatu abortus, à nobis potius quàm partus, Ursarum fœtus præseferentes: eosq; non palatino Apollini consecrabis, sed primitias quasdam esse uoles pauperis agelli. Solent enim pauperum munera non minus quàm diuitum, opulenta dona strenuis principibus esse grata. Ego interim si aspiraueris, & si nostra tibi esse cognouero grata, maiora moliar, altioraq; conabor: quæ omnia tuorum templorum parietibus affigentur: tuáq; in omnes mortales merita cumulabunt, laudum pleniore præconio. Scio quæ tua benignitas est, qualiacunq; fuerint, quæ tribuimus non neglecturum. Non igitur pluribus obtundemus, DEUM tamen obsecrabimus Opt. Max. te quàm diutissimè tueatur incolumen, atq; ad altiorem prouehat dignitatis apicem. Perduellibus, hostibus, aduersariis sublatis, undiq; parta uictoria.
Vale.

AD VENTVRAM COECVM, ANDREÆ CANTONII INSVBRIS Exaſtichon.

CVM *careas oculis, & ſis tu corpore cæco*
Mente tamen ſuperas lumina cuncta uirum.
Nec tua Tireſiæ ſimilis ſors lumine adempto,
Mente Polum luſtras: ille iocoſa facit.
Iuppiter æterna damnauit lumina nocte,
Vt tibi ſic cæli cognita regna forent.

AD EVNDEM FABRITII RESECI Diſtichon.

COECE *ubi te cerno, nil te puto cernere, ſed cum*
Audio dicentem, cernere cuncta puto.

In eiuſdem diſputationes varias ANTONII Martellini Academici Trauagliati Senenſis Tetraſtichon.

VT *quondam Proteus, formas mutatus in omnes*
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæq; futura dedit.
Partes ſic uarias Cæcus Ventura tuendo,
Tempora cum ſtudiis omnia noſſe monet.

IN LÆLIVM PRIMVM, SIVE MONARCHVM PROOEMIVM.

SOCRATEM ferunt Atheniensem cum Alcibiade Cliniæ aliquando diſputantem pluribus rationibus cōfirmaſſe, non hoc quod cernimus corpus, quod ictibus Fortunæ patet innumeris, mille morborum generibus cruciatur: hominem eſſe. Sed animum diuinum illum, atq; immortalem ſupremi numinis effigiem, quem Empedocles putauit eſſe DEVM, idemq́; maxima pars ſentit Stoicorum. Iſtanc ipſam ſententiam quo die migrauit è vita Socrates comprobauit; à Critoneq́; rogatus vbi nam ſepeliri vellet; ſi me (inquit) Crito deprehenderis, vbi voles, & quo potiſſimum modo voles ſepelito. Significans videlicet animum è corpore tanquā teterrimo carcere liberatum, niſi fuerit flagitiis, ſceleribusq́; grauatus ad ſuam ſedem, cœleſtemq́; regionem deniq; reuerti, neq; ab homine, vel impediri poſſe, vel certè deprehendi; cuius naturam ſemper diuinam Philoſophorum Princeps exiſtimauit. Vnde pleriq; cenſuerunt ex illis ſempiternis ignibus, quæ

ſydera

ſydera,ſtellasq́; vocamus, ortos animos ad corporũ cuſtodiam,et deſtinatos, & miſſos fuiſſe à Deorum patre, & hominum rege. Hunc igitur animum qui non ſuſceperit excolendum ſcelere, atq; impietate laborat. Intereſt tamen opinor, quanam excolatur ratione.Nam nonnulli opinantur animos ornari for titudine,eamq́; virtutem principem obtinere locũ ſibi perſuadent. Alii cõtra bellicoſos homines, & armorum faſtu tumentes,ocii, & pacis inimicos profitentur; eos ad cœlum tollunt,qui manſuetioribus dediti muſis,bonarum artium hominéq; dignarum libero ſtudiis delectantur, eaq́; monimenta conantur relinquere poſteris,quæ nulla conterat ætas,nullaproſternat tempeſtas,nullus abiiciat caſus.Quam ego ſanè cauſam tueor, cẽſeoq́; literis,quas morum ſequatur probitas,atq; integritas,immortalitatẽ facillimè comparari,purgari mentem, expiari pectus, tandemq́; omni terrena exutos labe ad ſuperos remeare; non modò omni depoſita ſolicitudine, ſed etiam animo bene informato,atq; inſtituto,eò libẽter contendente,unde primordia traxit. Quare cũ animum ſtatuiſſem pro virili parte decorare, dignũ meditatione, atq; examine, mihi argumentum ipſe quærebam. Subiit tandem præſtantiſſimos maximosq́; viros vnum aſſeruiſſe rerum omnium principium, à quo profecta vniuerſa,tandem eò redirent,

vnde

vnde primùm decesserant: hortatiq; sunt mortales viri præstantissimi, vt à terra se parumper attollerēt, & vnum illud, cui neq; initium sit alterum, neq; alter ab illo finis tota mente sequerentur. etenim vnitas quam μονάδα Græci vocant, omnia colligit, omnia trahit ad seipsam, omnia confert hominibus bona, nec patitur rerum interire formas. Quæ supremæ formæ lumine & illustrantur, & permanent, nulla exteriore macula contaminatæ, instar ipsius vnitatis, quæ omnis est perfectionis summa. Hoc vnū, atq; supremū igitur, quo de nobis est sermo, nihil prætermittit omnino, quoad omnia transfert ad seipsum, summaq; quiete, & tranquillitate frui facit, quicquid ad illud vnum peruenerit, atque in illud fuerit mutatum. Hac vnius charitate motus, cum cœlestia non possem attingere, inferiora sequi, atq; iis me oblectare certum, atq; definitum fuit. Itaq; de Principatu pauca referam: quò videlicet ostendam quemadmodū vnus regnat apud superos Iuppiter, sic Principem vnum in terra quoq; optimè futurū; qui resarciret maculas humanitatis, & Dei locū obtineret inter homines. Scio multos ante me de eadem re conscripsisse, in quorum magnitudine, claritate, atq; præstantia, mea latebit (ut opinor) imbecillitas, tantorum virorum splendore confusa; quod meum quidem opus, tùm mihi placebit, cùm alio-

rum accesserint sententiæ, qui eandem sectam secuti, Principem ante omnia mortalia venerabuntur. Sed satis dictum arbitror, ad rem ipsam deueniam, atq; qua potero, & copia, et vbertate Principem ante oculos ponam, vt omnes intelligant nihil Principatu sanctius in terris esse. Sed iam res ipsa se demonstrabit.

LAELIVS, SIVE MONARCHVS DE PRINCIPATVS GENERE.

LÆLIVS, ET EVTYCHIVS

QVID nunc tu tecum? EVTYCHIVS. Cum perturbato eſſem animo, Medicinã à philoſophia petebam, in qua dicere propemodũ cogebar nullam penitus eſſe: nõ enim mihi videbar, animo ſentes, atq; ſpinas euellere poſſe; cũ diu multũq; in eo mihi viſus eſſem laboraſſe: niſi forte mea culpa ſit, qui medenti me difficiliorem Philoſophiæ præbeo, & quoniam altius penetrauit malum, rigidiora, atq; aſperiora fomenta non patior. Aſſenſior igitur illis, qui ſapientem nullis ſuccumbere perturbationibus tradunt; noui enim quid ego ſentio mali, ſumq́; conſcius ſtultitiæ meæ: nec tamen exiſtimo, non moueri ſapientem interdum, ſed vincere perturbationes animi virtute, atq; præſtantia. Itaq; meimet me pudet, & tamen quòd initio dixeram non Philoſophiæ, ſed mea medicinam non inuenio culpa. LÆL.

Isthæc missa fiant hoc tempore, spero enim te facilè medicinā assequuturum, sed dic obsecro quidnā de nostris rebus, deq; belli exitu, restitutioneq; ciuium tandem iudicas? EVT. Me, ne rogas? quasi verò sim in Repub. exercitatus, aut vestros mores, vestraq; ingenia caleā? LÆL. Et si Socratē libenter imitaris, isthanc tamē ironiam in alia tempora differendam censeo, atq; apud alios homines dissimulatione vtendum. Lex enim amicitiæ iubet (quam parcarum infixam tabulis fabulantur Poetæ) ut apud amicos ex animo cuncta, & faciamus, & dicamus. Quamobrem si diuinæ tibi obtemperare legi in animo est, mitte salebras, atq; satisfac interrogatis. EVT. Scias me consultò dissimulasse, non enim quæ sentio eiusmodi sunt, ut albo sint digna, ut enucleata, perfecta, absoluta videri possint. Sed quoniam intelligo tibi (cui negare nihil possum) meam fore sententiam gratam, geram tibi morem, quem satis scio idem velle, idemq; sentire. Primum quidē optimè vobiscum actum affirmare ausim, quòd in veterem non redieritis licentiā: libertatem enim nusquā dixerim eam, quam qui tuebantur, ciuili sanguine saginati, id modò iustum putabant: quod ad libidinem explendam conferre sibi arbitrarentur: quòd vetera vt taceā, si exasperatis animis, atq; hostilibus intra eadem mœnia, coeundi vobis, & congrediendi

di data facultas eſſet, hoſtibus quidem veſtris teterrimum, præbuiſſetis ſpectaculum; cædibus, incendiis, rapinis, omniq; neſandorum ſcelerum genere inter vos graſſantes: quibus prohibitos vos, erectosq; malis, lætandum maximè duco. Eſt illud præterea magnopere celebrandum, quod optimo Reipub. ſtatu conſtituto, perpetuam pacem, tranquillitatem, quietem, omnium deniq; malorum finem, vobis fata promittunt. Duabus enim ampliſſimis, clariſſimisq; ciuitatibus ſub vnum redactis imperium, quis eſt qui veſtrum ocium turbare, qui uos oppugnare audeat? præſertim cum & iuſtiſſimum, & vigilantiſſimum nacti Principem, nihil quod timere poſſitis habeatis? Et ego quidem ſemper exiſtimaui, & nunc cum maximè credo, maximum, præſtantiſſimum, ſanctiſſimumq; Reip. regendæ munus Principatum eſſe. Quo authore uera libertas fulgeat, ſi quidem maximè liberi hominis eſt: in reliquis viuere rebus vt velit; legibus tamen ſponte & ſeruire, & obtemperare, quod vnius Principis adhibita in gubernando moderatio certè præſtat. LÆL. Multa quidem, cum te audiebam mihi veniebant in mentem: quæ planius, atq; apertius dici cupiebam. Cur enim fieri non poterat, vt ciuium coaleſceret concordia, ut in vnum iungerētur animi, cum nemo ſit malorum expers, nemo qui non ſenſerit incommo-

da

da belli. Itaq; crediderim omnes requietem pro uirili parte desiderare. Præterea illud mihi grauius videbatur à te dictum, atq; asperius, quòd libertatem eam appellabas, quam cæteri mortales existimant seruitutem. Verùm hæc aliàs mihi commodius (ut arbitror) explicabis. Nunc & mihi, & his qui adsunt omnibus gratissimum feceris, si de Principatu quæ sentis aperueris, idq́; feceris (quò facilius tuam percipiamus scientiam) oratione perpetua. EVT. Quæ mihi tecum est necessitudo negare quidquam quòd velis prohibet. Scito tamen onus grauissimum, quòd non facilè mei humeri ferant, à te mihi imponi: sed quoniam faciundum est, quòd iubes: subeamus quicquid hoc est, modò & tibi, & cæteris gratificemur; Quibus dictis cum omnes audiētiam pollicerentur, sic sumus exorsi. Quantum populari imperio principatus excellat, testis mihi potest omnis Italia accedere, quæ dum libertatem amplectitur, dum inani nomine delectatur, orbis quondam terrarum Regina, omnibus se gentibus, externis nationibus omnibus conculcandam, laniandamq́; præbuit, à suis prius lacerata. Cui enim non auditi sunt Heruli, Gothi, Vandali, Longobardi, Vlni, Alani, Saraceni, tū verò Germani, Franci, Hyspani, quibus omnibus, & fuit, & est Italia prædæ, & si vera potiusquā dictu speciosa fateri volumus, omnium malorum, quæ vidit,

quæ

quæ ſenſit, quæ tollerauit Italia: quæ omnia ætate no ſtra Deo Maximo authore concordia Principum, & pace ſublata videntur: omnium inquã malorũ principes Itali, ducesq́; fuerunt, inq́; patriæ viſcera retorſerunt arma, tantum ſeditiones poſſunt, nephandaq́; per fas, & nefas, per ius, & iniuriam dominandi cupiditas. Qua in re Aetruriæ principem COSMVM omnia ſæcula æternis laudibus celebrabunt, qui ſe conſtantisſimum pacis, & ocii ſemper præſtitit aſſertorem: neq; compelli, deduciúe ad arma capienda potuiſſet, ſi dignitatem, atq; imperium in toga defendere, atq; tueri potuiſſet. Sed cum vim ui repellẽdam intelligeret, arma induit iuſtisſima, eſtq́; cognitus, & in bello mitisſimus, & parta iuſtisſimus pace, aduerſariisq́; ſemper fuit intentus conſeruandis. Hunc igitur vnum excipiamus, in cæteris confirmare certè poſſumus nullum Italiæ accidiſſe malum, niſi principibus, & quærentibus, & volentibus, & vltrò aduenas accerſentibus. Sed ne reliquam citẽ Italiam; Aetruria poteſt vna propriis vulneribus, quæ dicimus teſtificari. Sed exemplis ſuperſedebo, quæ ſatis cognita vobis eſſe confido: meq́; totum ad Philoſophiam transferam, & licet Remp. non attigerim, non tamen nouum excogitabo Reipub. genus, eáue dicam, quæ fieri nequeãt, ſed quæ in promptu ſint, quæq́; omnibus expoſita tradam. Quæ tamẽ ut

ſuis nitantur fundamentis, ſintq; firmius ædificata, validiusq; conſtructa, altius repetenda duco. Vos interim ſi longior forte videatur oratio ſilentium imperatote. Principem ego quidem eundem, & Regem, & Politicum, quem ciuilem licet appellemus, & patremfamilias intelligo. Patrem quidem familias, quoniam ſatis inter clariſſimos conſtat Philoſophos, domum pagi principium eſſe, vicum autem ciuitatis. ex vna enim domo, veluti propagines egrediuntur, & quaſi mittuntur in Colonias. Inde oriuntut vici: pluribus autem (ut ſignificatum eſt) vicis cōficitur Ciuitas. Inde memoriæ proditum eſt, homines illos veterrimos cum cogi, ac congregari cœpiſſent, nullas adhuc leges habētes, ita vixiſſe, vt qui maximus, quiq; prudentiſſimus in familia foret, præeſſet; atq; ius diceret. Ita ſingulis gentibus, ſinguli Reges erant. Poſtquàm verò viſum eſt vtile vnum Ciuitati præfici, quem Regem nominauerunt: ſic quidem prætulerunt, ut nō vi, ſed authoritate regnaret: Eiuſq; decreta pro legibus eſſent, donec ſatius viſum eſt leges dici, quibus, & ipſi quoq; Reges paruere. Addunt etiam tria, quæ in patreſamilias maximè deſiderantur, in Rege expeti, ut omnibus conſulat, ut optimos ſtudeat efficere ſuos, ut omnem familiā ſic curet, vt nihil domi fiat, quod ipſum prætereat, ac lateat. Quanquā exilem domū Flaccus aſſerit Poeta, in

ta, in qua multa dominum non fallunt. Sed ille quidē Poeticè, nos & Regi, & Patrifamilias quoad suppetant vires, quoad patiatur humanitas omnia volumus esse cognita. Etenim si non immeritò Pastorem hominum Regem uocat Homerus, cui astipulatur etiam parens Plato Philosophorum: non erit utiq; pastor, qui non cognouerit quæ pauerit armenta. Quò fit ut omnia & Regi, & Patrifamilias sint cognoscenda. Illud præterea regiū probat hominē patrem esse familias, quod Stoici contendunt, hunc mundum omnem vnam esse vrbem, quæ regatur à Deo: quòd si damus, regnum certè quantumlibet magnum vna domus erit. Illud verò satis à Platone probatur, Regem ciuilem hominem esse, eundemq; diuinum. quò fit, ut idem sit Rex, quem Principē appellamus, ciuilis scientiæ verè dominus, & facultatis. Idem & domus regendæ peritus, quæ qui assequutus est, & sapiens est, & fœlix. quare & optimus quidem erit; non enim mali, aut sapientes sunt, aut beati, quòd si optimus est ipse, optimè Rempub. administrabit. Erit igitur Regnum, & Principatus optimum Reipub. genus, in quo ciues necesse est esse fœlices. Est enim finis, mensq; regentis, ut quàm optimi, quàm fœlicissimi fiant. Vnde illud quoq; videre potestis, veram esse, & Stoicorum sentētiam, quæ priuatos sapientes asserit esse reges, insipientes verò

ſtultos, malos, ſi mille diademata gerant, eſſe ſeruos, miſeros, oneratosq́; magis titulis, & purpura, quàm (vt ſic dixerim) honoratos. Nō enim vanis titulis Reges efficiuntur, ſed animi magnitudine, atq; præſtantia, fortitudine, iuſtitia, fide, æquitate, conſtantia, modeſtia, quæ licet plerisq́;, non omnes regiæ videantur virtutes, mihi certe cenſentur. Vnde Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum, Rex (dixit) Perſarum me maior erit, ſi fuerit vtiq; iuſtior. Rogatusq́; Socrates, quid de Archelao, qui tunc in Macedonia regnabat, ipſe ſentiret: iudicare ſe non poſſe dixit, non enim compertum habere quo ſe pacto erga iuſtitiā, cæterasq́; virtutes gereret. Habemus igitur Regem optimum eſſe, eosq́; qui ſub Rege viuant fœlicisſimos. Probatur etiam hoc ipſum rationibus plurimis, & clarisſimorum authoritate virorum. Sunt tamen qui ſecus ſentiant, huicq; noſtræ concluſioni repugnent. Vt igitur ſermo perficiatur, vtrumq́; nobis faciundum videtur: & vt rationibus, quæ diximus conſtituamus, & aduerſantibus reſpondeamus: niſi vobis fortè ſatis longa uiſa ſit oratio. LÆL. Tu verò perge: etenim pro his omnibus audeo polliceri, gratū te facturum, ſi quæ cœpiſti diligentius examinaueris, neminiq; penitus prolixum viſum iri ſermonē. EVT. Minutis igitur quibuſdā, rationibus vtriq; mouentur, atq; Stoicorū more arctis, & breuibus.

bus. Qui enim Monarchiã (ſic .n. Principatũ appello) optimam putant Reip. adminiſtrationẽ, in hunc maximè modum argumenta conferunt. Id eſt optimum, cuius contrarium ſit peſſimum. Cum igitur Principatus Tyrannidem habeat contrariam, quam peſſimam eſſe conſtat optimus quidem erit ipſe. Addunt præterea facilius eſſe vnum, quàm multos optimos reperire; quo fit vt Principatus omnino ſit perfectisſimus, cum vni videlicet optimo Reip. cura mandatur. Tertium quoq; adiiciunt rationis aculeum. Ille inquiunt perfectiſsimus eſt ſtatus, qui cæteros continet: hoc principatui conſtat accidere; eſt igitur lectisſima, pariter, atq; rectisſima tuendæ Reipub. ratio. Nam Princeps quoniam ſibi vni non fidit, optimum quemq́;, ac probatiſsimum adhibet in conſilium: ita optimatum emergit reſpublica: qui cum propter virtutem, & pauci ſint, & apud Principem plurimum posſint, ὀλιγαρχίαν coniungunt τῇ ἀριστοκρατίᾳ: & quoniam maximè proprium principis eſt populi tanquam vnius familiæ ſalutem vniuerſi curare, popularis exiſtit Reſpub. Clauduntur igitur in vno Principe omnes, qui ſunt aliqua laude digni, regendæ Ciuitatis, ſtatus: quò fit, vt diuinius nihil excogitari Principe poſſit. Superioribus etiam rationibus, illud adiungitur, quòd cum Deus Opt. Max. orbem vnus regat vniuerſum, tantamq́; molẽ,

significat ille quidem vni Principi, qui sit diuini numinis imago, remp. esse credendam. Itaq; Persæ reges suos adorabant, quòd in eis Dei maximi quandam intuerentur similitudinem, regumq́; peculiarem quandam, atq; singularem Deus curam habere videatur. Vnde Hebræus ille sapientissimus dixisse putatur: cor regis in manu Dei esse, ab eoq́; eò verti, quò maxime velit. nec uos obsecro moueat, quod hoc non Philosophorum uideatur argumentum, in quorum libris multitudo passim Deorum legitur. nam & ad uulgi frequentius loquebantur opinionē, & nonnunquam uelut per ænygmata quædam, diuinas rerum gerendarum facultates Deorum nominibus appellabant, & si qui plures tandem esse volebant Deos, ad vnum referebant, cuius communione diuinum nomen diuinis tribuebatur operibus. Veniat vobis in mentem Platonis ille opifex, & fabricator mundi Deus: qui est in Timeo, cuius etiam, vt Principis omnium meminit in Repub. Porphyrius quoq; & Iamblicus vnà cum Plotino vnū videntur agnouisse Deum, cæteros diuinitatis participes crediderunt. Itaq; seriem illā statuerunt, ut secundū animos nostros statuerēt heroas, quibus dæmones proximi forent. Hos Dei sequerentur secundi, & ad ipsum tandem bonum peruenirētur, summum videlicet Deum. Aristoteles etiam duodecimo Metaphysicorum

ſicorum volumine vnum motorem omnium, vnũ fatetur eſſe Principem, Deum ſcilicet, qui ſic omnia regit, ſic ſtatuit, ſic ordinat (vt clariſſimo videtur illi Philoſopho) quemadmodum exercitum Imperator. Sed ſatis vagati ſumus, nimiumq́; à propoſita digreſſi ſententia, ad quam iã eſt vtiq; redeundum, ſic enim argumentum concludebamus. ſi quidem optimè regit Deus, atq; diligit vniuerſa: Princeps quantum homini licet, quantum mortalitas patitur illi ſimilis, diuinitus ſanè ciuitatem conſtituet, cui præfuerit. Hoc etiam dicunt eſſe ſigni, Dei quandam ſimilitudinẽ, ab hominibus in Principe cerni, quòd antiqui illi Reges fuerint propè ſacerdotes, nã apud Aegyptios regnare nemo poterat niſi foret ſacerdos, & ſi quãdo ab aliquo regnũ occuparetur, nõ ante ius regium obtinebat, quàm à ſacerdotibus eſſet inauguratus. Perſæ quoq; eum diem regni Principium arbitrabantur, quo apud Paſagardas rex ſacris initiabatur ſumpta Cyri (qui regnũ Perſis tradidit) veſte, aliiſq́; cerimoniis ritè peractis. Neq; regnare poterat apud Perſas qui Magiam ignoraret, qua diſciplina ſuperum cultus contineri potiſſimum videbatur. Nonnè in pleriſq́; Græciæ ciuitatibus, regnis etiam ſublatis illud tamen regibus, regumq́; poſteris relinquebatur, ut ſacra quædam facerent, faciendiſq́; præeſſent? non obmittam Romanos, qui regibus

bus ſublatis, ne ſacra regiæ vicis obmitterentur, re-
gio nomine ſacerdotium, & inſtituerunt, & ornaue-
runt, ſacrificulumq́; vocauerunt regem. Hæc, aliaq́;,
quæ in hanc ſententiã adduci plurima poſſunt, oſten
dunt fœlicisſimam illam eſſe Rempub. quæ à Princi-
pe, qui hoc nomine ſit verè dignus gubernetur.
Nam & religionem diligentisſimè curabit, & in eo
erit etiam nimius, vt Deo pareatur maximo, vt me-
tuatur conditor rerum certisſimus, vt nihil quòd ad
religionem pertineat, vel deſeratur, vel certè con-
temnatur, itemq́; vt omnibus eadem ſit religio. Vi-
dimus enim & legimus, varias ſæpe religiones, varias
de Deo colendo ſententias, magnas vrbes, ſummos
perdidiſſe Principatus, atq; euertiſſe. Quas ob res
præſtantem religione Principẽ volumus. Eſt enim
boni ſacerdotis non ſibi ſolum exorare Deum,
non ſe præſtare ſolum cultorem numinis, ſed cæte-
ros incitare, coercere diſsidentes à ſuperis, efficere,
vt omnes intelligant, maximum principatus vinculũ
eſſe religionem. Si enim iuſtitia regna tuetur, & iu-
ſtus eſſe nemo poteſt, qui Deum nõ metuat, pariter
atq; ament; ſublata, deleta, remota religione, maxi-
ma quæq́; interitura palã eſt imperia. & nequid prin-
cipibus quod ſacerdotium amplificaret omnino de
eſſet; Augures etiam nonnulli fuerunt, quod de
Amphilocho, & Mopſo Regibus Argiuorum, deq́;
Cyri

Cyri Cambyſe Patre, ipſoq; Cyro maiore, & de Romulo, qui Romam vrbem dicitur condidiſſe, literarum monumenta confirmant. Itaq; fortiſſimi ſeptē illi Perſarum Proceres, qui Magorum tyrānide ciues liberauerunt: interſe ſæpè, diu, ac multum commentati, quod genus Reipublicæ informandum videretur: vt fœlix natio Perſarum eſſet: regnum omnibus antepoſuerunt. Sed contrà multa dicuntur, quoniā homines (vt in plurimis aliis) opinione falſa ducti regium, imperiū, quod maximè legitimū eſt, quodq; ſanctiſſimum, ſeruitutem appellant. libertatem verò, cum res in medio ponitur, quòd videlicet viciſſim, & imperetur, & pareatur. Sed ego ſatius eſſe duco, quæ contra dicuntur reticere, vobiſq; inſitum in animis principatus amorem relinquere, ne fortè mutata ſententia (ut mos eſt hominum) deteriorē partem accipiatis. LÆL. Neminem hic video, qui te libenter non audiat, qui non ſit huius ſententiæ perpetuus aſſertor. age igitur, pande vela, prome cætera. Ego enim ex me iudicium faciens, omnes qui adſunt, ea, quæ à te dicta ſunt defenſuros ſemper cōfido. Vide præterea nè dum tacendo perſuadere nobis velis ſummam principatus dignitatem, teipſum fallas. credet enim non nemo te, quia fortiores contrarias exiſtimaueris rationes ſuppræſſiſſe. hunc nobis ſcrupulum demito, & cætera, qua cœpiſti alacritate

critate doceto. EVT. Faciam vt velle uos uideo, quanquàm ſatis mihi dixiſſe uidebar: cum præſertim ad rem tàm arduam, tamq́; difficilem non præmeditatus acceſſiſſem: vobis ſatisfacerem. Sed quo niam ſemel cœptum eſt, finem habeat noſtrum hoc elogium aliquando. Sunt igitur Principatus aduerſarii quidam, quorum ſæpenumero mentis, ſenſusq́;, cauſam diligentius cum requiſiſſem, vnam hanc reperiebam, ambitionem, & regnandi cupiditatem, quam frequenter animi magnitudo parit, nonnunquam effrenata libido, & quidam amor ſui, atq; ina nis iactatio gloriæ. Ego tamen certum, atq; perſua ſum habeo, eum qui iuxta Delphicum oraculum ſe ipſum cognouerit, cui Deus non dederit ſceptrum: ſua ſorte contentum, libentius obtemperaturum, quàm imperaturum. Nam vt ſint paria cætera, mul tò minus periculum obtemperantis eſt, quàm domi nantis. iam ſi quis eſt qui non ſolum ſe iudicet impe rio dignum, ſed ſit re vera, atq; exiſtimentur ab om nibus, hunc tamē decet quieſcere, lætoq́; animo priuatam viuere vitam, ne ſuperis videatur aduerſari, quorum nutu, auſpiciis, voluntate principes, regeſq́; creantur. Sed reliquo iam ære alieno me libero. Inquiunt igitur qui principatui aduerſantur, hominem natura liberum eſſe creatum, gentiumq́; iure ad deteſtanda, prohibendaq́; bella ſeruitutem inductam.

Quid

Quid igitur attinet vni ſeruire? & naturæ clariſsimo munere tua ſponte abuti? cum præſertim non homini ſolum ſit inſita, atq; innata libertas, ſed belluis etiam; quod vel ex eo maximè patet, quòd captæ cũ poſſunt effugiunt, & nonnullæ tædio, atq; dolore captiuitatis emoriuntur. Qui quidem nobiſcum ſentiunt, cum optimam aſſerunt libertatem, hominiq́; maximè conſentaneam: falluntur autem cum aſſerunt eos, qui Principi parent eſſe ſeruos: niſi ſeruitus ſit obedire legibus. & nos quidem ſupra poſuimus munus, atq; officium Principis eſſe, quàm optimos efficere ciues. Tria igitur iuris præcepta, quæ maximè ſunt à natura confirmata, vt honeſtè viuatur, nemo vt lædatur, ius ſuum ſingulis vt tribuatur: qui ſeruant liberrimi ſanè videntur, quod verus, ac legitimus Princeps omnium maximè curat. Non igitur Principi populares ſeruiunt, ſed imperanti legitimè parent. Nam eadem quoq; ratione vxor, ac liberi patrifamilias ſeruire dicerentur, quod nemo hactenus dixit, ne profligatisſimi quidem adoleſcentes, qui viuis adhuc parentibus ipſorum exedunt bona. Addunt Deo regnum gratum non eſſe; idq́; ut probent Hebræis iratum aſſerunt Deum, quòd regem ſibi petiſſent, qui Samueli dixiſſet, me quidem illi non te abiecerunt nè rex ſim illorum; grauiſſimasq́; populo leges impoſuit, quibus rex illis colen-

dus foret. Sed isti non vident, ne logicè quidem tutò eos, atq; ex regulis inuehi? quippe qui à parte probare nituntur vniuersum. Sed hoc soluendi genus fortè leue censebitur: alia nobis igitur ineatur ratio. non quòd Regem petebant, Hebræis irascebatur Deus, sed quòd numine inconsulto petebant, quòd contumaciter petebant, quòd spem à diuina ope, ad regium auxilium transferebant, vel certè ob id videbatur irasci, quòd illum sibi populum peculiarius delegerat, quem seruauerat, auxerat: victoriis, atq; opibus exornauerat, quos ingratos habebat exosos, neq; dignos munæribus iudicabat, quos, tot visis signis, omnem salutis tamen expectationem ad hominem transferre videbat. Instant adhuc, & vrgent; neminem esse penitus, qui vel in populari, vel in aliqua non tyrannica viuere posit Rep. qui malit in regno viuere; quod falsum sanè videtur. nam Galli, & Hyspani, & qui nunc vocantur Anglici nullam libertatem anteponerent regno, seq;, ac liberos pro regis salute animo deuouerent æquissimo. In Italia nostra, patrumq; memoria: qui Vrbinati parent, egregium in Principem suum ostenderunt amorem, egregium & qui partem incolunt agri Taurini, Ferrati montis nomine nuncupatam. Constat inter omnes, degustatam aliquando libertatem Insubres contempsisse. Apulos verò, Calabros, Siculos, Samnites, Neapo-

 litanos

litanos nunquam ſine Rege victuros. Eſt enim opinio profectò, quæ mouet homines, vt hanc ament, potius, quàm illam Rempub. forſitan & ambitio. nam cum ſe plurimi dignos arbitrentur imperio, priuatam vitam iniquo ferunt animo. Accedit etiam de publico rapiendi libido, illarum peſſimum ciuitatum venenum, quæ vocātur liberæ. etenim ſi vos, vobiſq; finitimos Florentinos perſpicere rectè voletis, intelligetis plus hominum ciuiles extinxiſſe ſeditiones, quàm ſunt ii, qui modo ſuperſunt: pecuniæ verò tantum, quantum vniuerſa vix Italia conficere poſſit. Videte, videte quæſo quæ præmia pulchra illa vobis, atq; expetenda libertas pepererit. necabātur ciues indicta cauſa, trudebantur in exilium alii, diripiebantur bona, pauci erecti, atq; alacres volitabant. illi diuitias, illi conſequebantur honores: apud ſe ſceleratiſſimos habebant homines, quibus ſatellitibus vtebantur, qui nullis abſtinebant flagitiis, nihil ſibi non licere putabant. odorabantur omnia venatici canes, & aliena lābebant veſtigia, queis nihil ſatis erat. cogebantur igitur teterrimis beluis ſeruire domini, & vt haberent quod darent, aliena rapere. ita nemo erat qui ſuum dicere aliquid poſſet, nullum ius inuiolatum, nullum auitum, nullum paternum prædium, ira, odio, cupiditate, auaritia, libidine, & interim incredibili largitione regeban-

tur. Mitto Guelfos, ac Ghibellinos, abominanda nefandarum factionum nomina. Sed longius quàm decebat ſum progreſſus: quòd volui præclaram iſtã libertatem adempto fuco videretis anum fatidicam, mala ſemper pronunciantem, conſulentem deteriora, ſeſe venditantem paucis, nocentem innumeris. Sed non amplius vetera refricabo vulnera, ad inſtitutum redeo. Non igitur homines quòd libertatem probarint omnes ſequuti ſunt, ſed pleriq; quia id vtile ſibi exiſtimarunt. Anteponuntur enim priuata publicis hodie, atq; ita viuimus, vt ſocietatem ſanctam, quam Deus voluit inter homines eſſe, noſtris vtilitatibus metiamur. Negare tamen non poſſum dominantium malignitatem, ſuperbiã, auaritiam, luxum, atq; luxuriam, deſiderium plerunq; nouarum rerum feciſſe, anſamq; dediſſe, vt homines libertatem affectarent: præſertim cum frequẽtius accidat, vt deteriora ſint poſteriora prioribus. Vnde rogatus ruſticus quidam cum intentius foderet, quidnam ageret, cur ſe tam ſtudioſe cruciaret; reſpondiſſe dicitur. Antigonum quæro, qui paulo ante bello victus, & interemptus fuerat multorum regum coniuratione. Sed qui odio ſuis eſſe volunt, habentq; illud in ore, oderint dum metuant, nõ ſunt vtiq; Principes. Scimus ſanè ita comparatum eſſe, vt mortalia non ſint omni ex parte perfecta. nullum

enim tantum reperias bonum, in quo nõ ſit aliquid, quod deſideres. ſed locus me admonet, vt quod for tisſimum aduerſantes exiſtimant argumentum expo nam. aſſerunt enim fateri ſe nihil tyrannide ſcelera- tius, quippe qui ſint generis hoſtes humani. Vnde optimum confitentur principatum, ſi modo reperi ri optimus, atq; abſolutisſimus, quem Græci vocant ἡγεμονικὸν posſit vnus. Sed quinam fieri posſit rogant, Princeps ut dari, vtq; inueniri poſſit? iam enim illud ante omnia Terentianum verum eſſe patet; Ingeniũ hominum à labore ad lubidinem eſſe procliuè. pa- làm eſt etiam Principatum maximi laboris, ſummæ induſtriæ, curæ, diligentiæ hominem expetere, quẽ fingere facilius poſſumus, & comminiſci, quàm digi to (ut aiunt) monſtrare. Cum præſertim circunſtẽt aſſentatores, peſtis æterna Principum: qui eos coro na circundant, curantq;, & efficiunt nè verum au diant, nè bene monentem, conſulentemq; vtiliter ſuſcipiant, nè ſe reſpicere, nè ſe valeant intueri. quis obſecro dicere poſſit, quot illecebras, quot, & quàm nouas comparent voluptates, vt irretitum, vt ſibi deuinctum Principem teneant? omnibus enim ſcele ratisſimorum commentis hominum, moles illa diui tiarum vim, facultatemq; ſuppeditat. Ita fit, vt qui cæteris imperat, ſuimet nõ ſit dominus. Itaq; quòd aiunt in fabulis poculo neſcio quàm Circem homi-

nes

nes in bestias vertere solitam; pestes istæ consequuntur palatinæ. Principes enim in horrenda vertere monstra sciunt. Vnde & ingenia clarissima corrumpuntur, fiuntq́; scelestissima. Prodigium, portentũ in vltimas asportãdum terras Nero fuit, cuius quinq; anni imperii primi, cuiuis præstantissimo æquari potuere principatui. pluries etiam euenit, vt prætestus quidam virtutum occultet maxima vitia. Quare valeat Principatus iste vester, etenim belua multorum est capitum. Quid enim tetrius excogitari potest, aut dirius, quàm illud quòd apud Euripidem vsurpat Etheocles? quod vtinam non placeret Principibus, vt placet. est enim ipsa diritate dirius, iusiurandum regni causa violandum, colendam pietatem in cæteris. quotusquisq́;, dicite per Deum immortalem, vt rerum potiatur, non tentat, atq; conatur omnia? At eum, quem fingitis potius quàm describitis principem, cogi ad regnum suscipiendũ decebat, non ipsum regni causa omnia miscere, turbare, diuina, & humana iura peruertere. Primo quidem aspectu, nos cogunt, dum sic inuehuntur, pedem referre, & in nostra nos præsidia paulatim contrahere. vbi verò resumpsimus animos, viresq́; recepimus, non modò resistimus, sed repellimus hostẽ vmbonibus: & quicquid amissum erat campi recuperamus. Inuadimus igitur in hunc maximè modũ.

describamus

describamus quæso Principem, iterum, ne nos effu giat. diximus enim supra non titulum, non honorem, non diadema Principem facere. sit igitur Princeps, qui curat omni ope, vt Deo sit quã simillimus. is neq; assentatoribus cedet, neq; flectetur illecebris, nec voluptatibus parebit, nec corrumpetur diuitiis. si autem quoniam hominem, non Deũ propositum est describere, victus aliquando ceciderit: resurget illicò, in se redibit, ægro feret animo, conabitur emendare, cautior erit in posterum. Ac Principatus vel vt ciuibus prosit optabit, eosq; errantes reducat in viã, nullumq; publicę salutis causa recusabit laborem, vel certè propriæ vtilitatis gratia nunquam Princeps esse volet. Est enim curarum plenissimus Principatus. dormiunt enim omnes Principis oculis, tutoq; quiescunt; illum respiciunt: si quid acciderit aduersi prudentiam Principis requirunt, quem prouidentem, prospiciẽtem, medentem vulneribus, aduersis casibus obuiam euntem admirantur. Sed locus iste me admonet, ut sententiam illã attingam Platonis, qui parentibus, ac patriæ vim si ne nefario scelere negat inferri posse, quam ego sententiam verissimam sanè iudico, arbitror tamen tẽporibus commutari. nam si parens constituisset se gladio transuerberare, per vim vtiq; gladium eriperem: nec sceleratus essem. si vitam inedia finire decreuisset,

creuisset, non essem certè parricida, si ui adhibita ad cibum capiendum impellerem. Si patriam ergo labentem cernerem, si ruentem, si peruersis gubernantium consiliis intereuntem; darem operam vt sine vi patriam seruarem. id si minus contingeret, omnibus patriæ salutem anteponerem, vimq; sceleratorum ciuium vi repellerem honestissima, solusq; tenerem clauum, quem intelligerem multos tutò regere non potuisse. Sunt enim quædam, quæ pertinent ad iustitiã, quæ licet sint semper bono viro seruãda, commutatis tamen mutantur ipsa temporibus. neq; enim sunt semper præstanda promissa, neq; deposita reddenda; quæ multis verbis in philosophia grauissimè disputantur. Nec principem eum hoc tempore tracto, quem in animo insculptum video, cuius effigiem, clarissimam licet perspiciam, exprimere tamen nequeo, qui ita diuinus est, vt formam quidem habeat humanam, cætera Deus quidam esse videatur in terris. Hunc prætermittamus igitur, quoniam eloqui, atq; explicare non datur: erit ocium aliàs forte fortuna; vt ad eum quẽ in mente Principem habemus, quàm proximè accedamus. quo contenta est vita communis, eo nos etiam Principe contenti simus. cuiusmodi Xenophon Reges Persarum describit ante deuictas à Cyro gentes, ac superatas. cuiusmodi Lacedæmoniorum Reges, qui

cum

cum duo essent, aliquot sæcula vno animo rexerunt Imperium , cumq; diuersis ex familiis regnarent, concordiam quàm nè fratres quidem habere priuati possunt, Reges tutati sunt. qui cum plenum, merum , integrum haberent imperium, ἐφορίαν constituerunt, neq; ante Eumenem Leonide filium Lacedæmone regnauit, qui non paruerit Ephoris, quin se ab illis multari sit passus. Addantur Nerua, Traianus, Adrianus, & vsq; ad Commodum, Principes vniuersi Romani, & iam labente republica, Claudius is, qui Gothos maximo prælio superauit, qui nisi breuis æui fuisset, in pristinam dignitatem, veteremq; candorem Remp. restituisset. Nec omittatur maior Theodosius, quem Principem Hispania dedit, cuiuis laudatissimorum Imperatorum, vel pace, vel bello comparandus. Quare confitemini quæso cœlestis imaginem Reipublicæ Principem esse. At mali nonnulli fuerunt? non Principes illi quidem, sed Principatus euersores. quemadmodum enim pulchrum, & bonum, honestum, & vtile, coire inter se dicimus : sic ea omnia in Principem quadrare contendimus. Verùm si placet, ne glorientur isti, Principatum eneruasse: cum nos in Respub. non simus inuecti quas ipsi laudant, & amplectuntur: par pari referamus, mordeamus sic homines, nè loqui diutius ausint, atq; iis, quæ supra

infucatam dicta sunt libertatem (nam veram in Principatu profitemur esse) adiiciamus nonnullarum ciuitatum errata, & illa quidem Palmaria. LÆL. Expectabamus hoc quidem, mirabamurq; si tibi sic res abiret, ne gratiam referres, qualem merentur Principatus hostibus. EVT. Incipiamus igitur ab externis, quas isti semper habent in ore; sitq; Lacedæmoniorum prima, quoniam est immortalis. Videntur nè vobis igitur pulchrè Spartani fecisse, condemnato Phebida, qui in media pace Thebanam occupauerat arcem, ipsos tamen nihilominus quam male partam iudicauerant, Cadmeam retinuisse? quid quòd eum ciuem absoluerunt, qui Atheniensibus nihil molientibus, pacemq; colentibus, Pyreum voluit occupare, prædãq; ex pacato, tanquã ex hostico duxit? quid cum Lycurgus aurum Spartæ perniciem esse putasset, vrbeq; penitus exegisset, sine quo ea Ciuitas diu, plurimumq; floruerat, quã deuictis Atheniensibus Lysander pecuniam miserat, accipiendam publicè decreuerunt: priuatis verò capitalem statuere pœnam, si quis aurum habere deprehensus esset? quasi verò non edixerint ipsi priuatis, accipienda pecunia; quid illis esset agendum? Itaq; neglecta pœna, opes sibi quæsiere priuati, interiitq; Lacedæmon. quid? non ne Agis, & Rex, & adolescens egregius in carcere fuit strangulatus vnà cum Matre, & Auia? nullam

nullam aliam ob causam, quàm quod seruare ciuitatem, quòd Lycurgi leges ab inferis excitare decreuerat, fueratq; conatus. Hæc si oratoriè dicerentur si ornatè, si copiosè, quæ nunc à me breui, nuda, atq; incompta dicuntur: quo flumine, qua vbertate dicerentur? quibus exaggerarentur figuris? quanta vis argumentorum esset? quo explicarentur, atq; etiam deplorarentur artificio? Sed mihi satis est, quæ gesta sunt attingere, vt intelligatur in omni Reipublicæ statu aliquando peccatum esse. Inclytæ Solonis habentur leges: prudentissima putatur Atheniensium Ciuitas, quoties tamen Dii boni peccauit? & sæpe quidem non sine magno Reipub. detrimento. Classis duces, victores, tropheoq; insignes popularis necauit amentia: quam rem vnus Socrates Philosophus ausus dicitur dissuadere. Quid de Cimonis exilio dicam? qui cum Lacedæmoniis fauere insimularetur, patriamq; prodere, cum instructa Atheniensium acies esset, cum Lacedæmoniis manum iam iã collatura, Cimon vt se patriæ purgaret inter suos dimicaturus accessit: qui cum ab inimicis pelleretur, arma inter suos diuisit, & vt acriter pro patria pugnarent est hortatus. qui omnes illo prælio ceciderunt, victosq; pœnituit Athenienses, & expulisse Cimonem, & clarissimorum, atq; fortissimorum virorum sera tandem miseratio cœpit. Sed quid opus

est multis? Cladis in Sicilia acceptæ, qua penitus corruit Atheniensium potentia, periitq; libertas, quæ certior fuit causa quàm Alcibiades ad iudicium reuocatus, atq; damnatus? qui se viuere Atheniensibus minatus est ostensurum, & præstitit. Vltimum tamen, maximumq; Athenarum excidium, eiusdem Alcibiadis abdicatio, nouorumq; ducum substitutio peperit. quid eloquar Themistoclem? in quem nemo negat ingratissimos Athenienses fuisse. quid Aristidem memorem? qui ob id vnum iussus est exulare quòd iustitia cæteris excelleret, quòd iusti sibi nomen cõparasset. possum omnes peragrare Resp. innumerabilia certè patebunt errata, quòd si ad Romanam peruenero, quæ summam illam fœlicitatem Principũ prudẽtiæ, potius quàm fortunæ tribuit: tot cõnumerabo peccata, vt & me, & vos simul fastidiũ capiat. satis igitur fuerit in duabus ciuitatibus, quarũ altera ab optimatibus, altera gubernabatur à populo ostendisse nõ minora, in laudatis Reip. administrãdæ generibus esse, quàm in Principatu peccata. est .n. hæc imbecillitas humanæ naturæ: & certè si non erraremus, Dii potius quàm homines iudicaremur: tantaq; efferremur superbia, vt numen illud supremum quòd solũ errore vacat precari non dignaremur, fulmenq;, atq; diuinã negligeremus vltionẽ: cum nunc etiã nostræ ignauiæ, atq; humilitatis cõscii vix supe-

ros

ros metuamus. Sit igitur hæc ſumma, Monarchiam quæ vnius imperio regitur, ſi modo Princeps ille ſit qui præſit, quiq; gubernet, optimã cõſtituere Remp. Vnde diuinus ille Plato vrbẽ fœlicisſimã, ac fortunatiſſimã aſſerebat fore, cui Philoſophi præſiderẽt. Philoſophos autẽ nõ intelligebat eos, qui philoſopharẽtur, quiq; Philoſophorũ ſcripta percurrerent. Sed ſapientes, vereq; tãto nomine dignos. quòd ſi ſapientẽ vnũ omnibus ſæculis difficillimũ fuit inuenire, quid de multis cẽſebimus? Hoc quidẽ certiſſimum eſt, ut vno ducimur Deo, vt vna per vniuerſa fluente Natura viuimus, vt vno nutrimur omnes, atq; adeò molles hæc tota calore: ſic vni Principi parendum eſſe reor, atq; mihi perſuadeo, ſi vnius hominis prudentia mundus regi potuiſſet omnis, Deum Opt. Max. vnum gentibus omnibus Principem fuiſſe daturum. Et quoniam mortalem eſſe hominem oportebat, alterum alteri fuiſſe ſucceſſurum, Deo auſpice, atq; authore, vel certè primum illum ab orbe cõdito regem, ad eundem fuiſſe victurum euerſum, atq; corruptum, volente Deo, cuius non eſt authoritas vllis coercita limitibus. Quoniam autem procul admodum abeſt, tanta vt ſit vis in hominum natura pro regionum, temporumq; ratione; principes mittuntur à Deo. Dicat aliquis cur non omnes boni? facilè quidem reſpondebitur, patrem ſuperum

rum, atq; hominum regem bonos ſemper Princeps voluiſſe, malitia tamen deprauatos humana. nec dubito Deum malos regnare aliquando paſſum, vt populorum puniretur flagitia, ſcelera comprimeret, corrigeret, emendaret. Sed tamen ſint licet Dei miniſtri, malos tamen Principes non appello. Itaq; magnopere (iucundiſſime Læli) vobis omnibus gaudendum arbitror, quòd eam videritis ætatem, in qua ſit Aetruria verum Principatũ adepta, ſperareq́; poſſitis poſteris quoq; veſtris eadem principatus forma fruendum. dicerem, & libenter quidem, dicerem quàm verum, quàm germanum, quàm legitimum Principatum agnoſcam: ſed vereor ne rudi, atq; inerti vulgo, atq; prudentioribus etiam videar aſſentari. quòd vitiũ libero homine indigniſſimum autumo. nec tantum ego oratione proficere poſſum, quantum vobis eſt exploratum, qui quòd viuitis, quòd homines eſtis, quòd ciues, quòd liberi, quòd patrimonia non amiſiſtis: quoties domos, quoties vxores, quoties liberos, quoties templa, atq; delubra cernitis, veſtri Principis aſpicitis beneficia, vni COSMO, Secundum Deum immortalem, acceptũ referre debetis. Sed hæc vobis notiſſima ſunt, nec Senenſes ingratos hactenus credidi. Quare non hortabor vos ad fidem ſeruandam; ad hunc ſtatum Ciuitatis tuendum: quoniam vos ſatis inflammatos

esse noui, meum præsertim Lælium, cui à maioribus traditum esse scio, & hæreditario iure relictum Mediceam vt colat familiam; atq; obseruet: quod tuus Parens diligentissimè Læli curauit. Itaq; septimo Clementi gratissimus fuit, hominum exactissimo consideratori, & Gens Placida semper custodiuit, atq; vt spero custodiet. Verùm de iis hactenus. Multa restant de Principatu dicenda. variè, ac copiose à Philosophis disputata. quæri nempe solet, hæreditate, an delectu sint Principes instituendi. liberum nè imperium vni committendum, an certis frenandum legibus. Post verò ab incunabilis Principem, atq; ab ipsis nutricis vberibus, ad summum vsq; prouehunt. quæ omnia non enarrari paucis, non breui tradi possunt oratione. Nam & opinionibus certatur, & rationes in omnes partes non contemnendæ feruntur. Illud conuenit inter omnes Principem solutum legibus esse oportere, vt temporibus medeatur Reipublicæ, seq; in tot formas vertat, vt de Proteo, ac Vertunno fabulari solent: quot Reipublicæ tempora postulabunt. si tamen Princeps fuerit, quē descripsimus, legibus sua sponte parebit, vt cæteris exemplo sit obediendi. Aristoteli delectu creari principes placet, Barbarumq; existimat hæreditarium principatum, ea credo ratione quòd cum de communi agatur salute, ac fœlicitate, non nisi pro-

batissimum

batisſimũ quemq; delectum iri putat, atq; optimũ. Sed hæc res(vt ego cenſeo) cautionem habet.Primũ enim quærendum eſt à quibus nam deligendus ſit Princeps : conſtant enim imperitum vulgus opinione duci, præcibus, authoritate,ſpe,metu, plerumq́; etiam precio. Itaq; qui vulgo credit facilè fallitur. non enim pluries vertitur fluit, refluitq́; Euripus quàm vulgus. nunquam igitur huic monſtro meo quidem ſuffragio renuntiandi Principis facultas cõmittetur. Reſtat igitur, vt creetur à paucis, in quo primùm verẽdum eſt ne ſit apud multitudinem inuidiæ. Præſertim ſi ſeueriorem Principem dixerint, & populo minus obſequentem. Illud etiam cauendum videtur, ne inter eos ipſos quibus latio ſuffragii data eſt oriatur diſſenſio, quòd nemo non iudicet ſe quàm cæteros principatu digniorem. fit enim ſæpenumero, vt propter meliorum diſcordiam, vincant obtineantq́; deteriores. Sunt præterea quidam vulpium aſtu, calliditate, fraude, verſutiis, atq; fallaciis, qui cum virtutem ſimulauerint diſſimulauerintq́; vitia, vbi primùm ad honores peruenerunt, vbi metuere leges deſierunt, vulpinam exuunt veſtem, qualesq́; ſunt tales videri volunt, tyrannicosq́; gerunt ſpiritus. hinc ortum eſt vulgatum iam trito ſermone prouerbium, honoribus oſtendi mores.Si meam ergò ſententiã interponere (& vt aiũt) & ore

cœlum

cœlum tangere mihi fas eſt, hæreditarium probabo Principem, non quod degeneres non cernantur plurimi, optimis parentibus, atq; fortisſimis peſſimi, ac flagitioſiſſimi prognati filii. Sed quoniã quæcunq; mortales agunt erroribus ſunt obnoxia, educationem multum valere; ſi bona ſit, liberalis, & quæ tandem Principem deceat exiſtimo. in qua primum illud præcipi ſolet, nè Principes futuri delitiis eneruẽtur; fiantúe effœminati, nè quid turpe, nè quid obſcœnum audiant, vt etiam inter ludendum cum per ætatem poterunt, regium aliquid moliantur, vt audire controuerſias æqualium, de iisq; iudicare, & pœnas, & præmia largiri pro merito præſente magiſtro, qui eum corrigat, atq; plectat; ſi perperam iudicarit. prodeſt etiam adoleſcentem Principem iam deſignatum, adſiſtere parenti, vel ius dicenti, vel legationes exterarum gentium audienti, vel munus aliquod publicum obeunti, vt à tenera, dociliq; diſcat ætate Reipub. adminiſtrandæ rationem. Plato paucis quidem verbis, ſed tamen omnia complectentibus, atq; vt dici ſolet ſucci plenis Perſarum Regum ſcribit educationem; qui lactantur quidem à nutricibus, cætera per Eunuchos geruntur; quibus Perſæ maxima quæq; credere non dubitant. ii membra componunt, dantq; operam, ut pulcherrimi euadant, ac pernicisſimi. Septimo verò anno, vt à religione primũ

ſumatur auſpicium Zoroaſtri Magiam, quæ diui-
num continet cultum, regiasq; pueri docentur le
ges. vt videlicet nullum ætatis tempus, ex quo pri
mum intelligere cœperint, abſint à religione, pa-
triisq; inſtitutis. Venatione præterea exercentur, ac
frequenter equitant: quartodecimo quatuor magi-
ſtris anno traditur futurus Rex. Sapientisſimo, à quo
magiam, vt diximus; Fortisſimo, vnde rem milita-
rem. Iuſtisſimo, à quo æquabilitatem in omnes acci-
pit, ſemperq; verax eſſe iubetur: Temperatisſimo,
qui eum voluptatibus ſuccumbere, perturbationi-
bus opprimi vetat, ira, cæterisq; peccatis, atq; vitiis
arcet, inſignitq; virtutibus. Sed hæc (vt diximus)
aliàs copioſius: ſatis enim longa fuit oratio, ni-
miumq; diu vos tenui. Quare quoniam, vt diei
tempus eſt, curanda ſunt corpora, & totis pectori-
bus amplectimini principatum, & Deum in princi-
pe veneramini, & ſic habetote, tantum pollere prin
cipem, vt à maximo Chriſtianorum Philoſopho-
rum, Sanctisſimoq; Paulo, non ſolum bono parere
iubeamur, atq; legitimo, ſed à recto deflectenti nõ
nihil tramite propter Deum, cuius effigiem præſe
fert, à quo munus, authoritatemq; ſuſcepit. Sed iam
me ipſum accuſo, qui poſſe non mihi videor perora
re. finiam igitur, antequam deſerar. LÆL. Nos qui
dem te nè ſi totum conſumpſeris dicendo diem, ſa-
nè

nè deſeremus. eſt enim nobis hæc oratio gratisſima, habetq; illam, quam Ennius Cethego tribuit Suadæ medullam. Memineris tamen te promiſiſſe iis de rebus accuratius eſſe dicturum, quod vt præſtes rogamus, & ne tibi non prædictum contendas, aut excuſes, me asſiduum habebis, & diligentisſimum exactorem. Quibus dictis diſcesſimus.

Lælii, ſiue Monarchi primi finis.

LAELIVS, SIVE MONARCHVS SECVNDVS.

ILLVSTRISSIMO, ATQ. EXCELLENT.^mo COSMO Mediceo Tuſcorum Principi.

VENTVRA Cœcus Beneualere.

ANIMADVERTERAM *ego quidem (PRINCEPS Illuſtriſsime) mē teq́;, & animo ſæpe mecum ipſe uolutaram. quidnam illud potiſsimum eſſet, quod animantium omnium optimum, atq; ſanctiſsimum, omnibusq́; (ſi modo dicere licet) partibus abſolutisſimum; conſtare ſibi non ſineret, nec in uita requieſcere pateretur. Eurippus enim mediusfidius tot fretis, tot fluxibus, atq; refluxibus non agitatur, quot motibus hominum uitæ. Itaq; Philoſophum quempiam laudare cogor interdum, qui cum uerbis plurimis deteſtaretur inuidiam, ſolis ſe uita defunctis inuidere profitebatur, quòd fatis fruerentur tranquillioribus. & quod ad me quidem attinet, perſuadere mihi non poſſum fortunæ temeritati ſupremi numinis exemplar ſubditum eſſe. Quid enim eſt aliud obſecro fortuna, quàm uel uis quædam inconſulta, rationiq́; repugnans? uel ſubitus quidam, repentinusq́; motus conſilium omne peruertens, frenosq́; de-*

traens

traens equis, ne nostræ mentis auriga illis possit imperitare? uel certè præter omnem expectationem obscura quædam causa, nobisq; incognita raro prodeuntis euentus. Quicquid sit tandem cæca fingitur, ac temeraria; cui ego nunquam crediderim humanum genus authorem, conditoremq; subiecisse. Nam de Fato quid eloquar? quo (si uniuersa regi concedimus) omnes leges tollantur oportet, omnisq; pereat disciplina. cur enim, aut præmiis afficiatur uirtus, aut pœnis, suppliciisq; plectãtur, coerceanturúe scelera, cum nemo sua sponte uel probus sit, uel contra delinquat? Nullus igitur locus iustitiæ relinquitur; Nam prudentiam sublata consulendi, deliberandiq; facultate, quis dubitet funditus interire? nec rationem cõminisci certè possum, qua nobis sint adeò infensa sydera, nullam ut penitus tribuant requietem. quare quæ nam sit tantæ imbecillitatis origo nescire me fateor, nec sanè, si sciam, dicendum hoc tempore existimare. Mirabitur tua fortè benignitas (Excellentissime PRINCEPS) *& quid sibi uelit tàm altè repetita oratio non iniuria requiret. Ego uerò, si quis mihi Deus Hetrusci moderatoris, ductorisq; clarissimi cõparauerit attentionem efficiam profectò, nè frustra suscepta uideatur. Nam ex quo Senis tuam exoraui clementiam, me ut in clientelam admitteret, nihil non tanto muneri cogitaui deberi, dandamq; mihi operam censui nè uel ingratus, uel tanto beneficio existimarer indignus. Cumq; Senis plurimis iustissimisq; profectus rationibus, quas hoc loco res non patitur explicari, me cõtulissem Bononiam, præstantissimamq;, & comitatem, & humanitatem expertus essem Bononiensium, qui me inter clarissimos,*

ornatissimosq;

ornatiſſimosq; nobiliſſimæ, florentiſſimæ, uetuſtiſſimæq; Academiæ reponere non ſint dedignati. Cum inquam nihil mihi deſiderandum amplius autumarem. ecce inſperato infortunio ampliſſimæ domus tuæ (PRINCEPS omnium meo iudicio maxime) ad me perlata ſunt uulnera: non exequar quanto mihi dolori fuerint, quanto me luctu, ac mœrore confecerint, ne uidear quibusdam (id, quod à meis moribus alieniſſimum eſt) aſſentari. illud unum certè non reticebo, eum caſum, uel meditatione ſortis humanæ, uel mea in te, tuosq; omnes incredibili charitate, uel potius pietate luctuoſiſſimum mihi fuiſſe. Duo me tamen conſolabantur. Vnum quod quanto ferres animo, quanta uirtute graſſantem in bonos fortunam uinceres pari omnium uoce audiebamus. Alterum, quod magnis te perſunctum periculis intelligebamus, quæ tibi rerum humanarũ inconſtantia moliretur. Itaq; his literis (ampliſſime PRINCEPS) & humanorum uarietatem euentuum ante oculos tibi ſtatuere decreui, & profectione Senenſi nihil de priſtina immutatũ obſeruantia ſignificare. ut miſera noſtra cœcitas eò ſit tibi commendatior, quò in tuis ſit firmior obſequiis, pietate flagrantior. Accidit etiã illud (PRINCEPS Clariſſime) ut neſcio quo pacto, quos geminos tibi dicaram de principatu abortus, quibus meam tibi mentem explanandam cogitaueram, inuito è manibus tamen exciderint, Typisq; ſint traditi amicorum opera quorundam, quibus uiſum eſt meas ineptias occultari diutius, non oportere. Cum igitur quicquid hoc eſt, tuum eſſe ſcirem, nè uerbum quidem, addi minuiúe, aut mutari ſum paſſus. iterumq; tibi dicare, donare, largiri operæpreciũ

fore

*fore duxi. Quo igitur priora, hæc etiam suscipies animo (*PRINCEPS *celeberrime) nec tàm munere delectaberis, quàm donantis animo, si modo, quod tuum iampridem fuerat, rursus donare licet. Sed peccare mihi uideor, & in publica quidem commoda si te diutius oratione moror. Amplectere igitur deuinctissimum tibi Cœcum, tuas illustrißimas osculantem manus, tibiq́; persuade Deum Optimum Maximum tibi gratiam relaturum; cuius maiestati tua semper curæ sit salus aucta dignitate, imperio quieto, propagato, confirmato, reliqua incolumi sobole, posteritate fœlici, omnibus faustis, ac fortunatis perpetuo. Vale. Bononiæ.* MDLXIII.

IN L. AELIVM, SIVE MONARCHVM SECVNDVM, PRÆFATIO.

EPICVRVM Philoſophum(ſi tamen Philoſophum licet appellare) voluptatis perpetuum aſſertorem, ſed tamen Epicurum in breuibus illis concluſiunculis, quas (quoniam ratas admodum credebat, κυρίας δόξας nominauit) inter cæteras tradidiſſe ferunt: Deorum immortalium exẽplar hominem eſſe. Et ille quidem cum de diuino numine non rectè ſentiret, humanam formam ſuperis adſcribebat, eosq́; volebat in ocio perpetuo, æternisq́; volutari delitiis. Nobis verò certisſimum eſſe videtur, verum atq; germanum hominem mente conſtantẽ, cœlitum exẽplar præſeferre. nõ corporea, terrenáue mole, ſed ea potisſimũ parte, qua immortalis eſt, & ſempiternus. & quoniam diuina virtus non ocio, ſed actione perficitur, Deum Opt. Max. imitabatur diligentisſimè, qui quoad eius fieri poterit, nunquam ab actione ceſſabit, neq; erit vnquam minus ocioſus, quàm cũ ocioſus eſſe videbitur. quæ cum frequentius mecum ipſe reuoluerem, agendũ aliquid exiſtimaui, quod homine dignum meritò cenſeri poſſet. et veluti citharœdorũ prooemia maioris ſunt exordia; rapſodiæ; ſic has geminas diſputationes maiorũ operum, quæ ſi vita ſuperſit, nec defuerint opes edere cõtẽdimus, primordia, atq; rudimẽta fore voluimus. Quę ſint licet impolita, ſi tamẽ (Illuſtrisſime, atq; Excellentisſime PRINCEPS) tuo ſub clipeo ſe tutari, dignitatemq́; poterunt retinere, nõ dubito quin inuidorum, atq; maleuolorum vincant furores, impetus, atq; ictus declinent. Quod euenturum profectò non dubito cum tuam clementiam omnibus perſpectã, & cognitam animaduerto. Sed iam res ipſa deſiderare videtur, vt alteram diſputationem nouo ſumpto principio auſpicatius aggrediamur.

MONARCHVS ALTER.

EVTYCHIVS, ET LÆLIVS.

PAVCIS igitur poſt ſuperiorem diſputationẽ diebus, cum ocio ſus deambularem aliquando, Lælius ad me venit iiſdem fermè comitibus, qui proximo ſermoni interfuerant, dataq́; atq; accepta ſalute, optantibus nobis inquit, non tamen ſperantibus accidit, te vt ſolũ conueniremus. dedis enim te totum quotidianis lucubrationibus, atq; enarrationibus, & vt aliis proſis, te ipſum contemnis. non enim tantum hic temporis (ad eos qui aderant conuerſus ait) ſibi relinquit, vt naturæ, corporisq́; non modo deſideriis, ſed nè neceſsitatibus quidẽ ſatisfaciat. Omnes Lælii verbis ſunt aſſenſi, meq́; quòd mihi non parcerẽ incuſarunt. Ille verò pergit. Quandoquidem igitur tibi tu ipſe non conſulis, mirari non decet ſi laboribus addamus labores. Quare quoniam ocii tantum nactus es, quantum vix nobis ſperare licebat, noſtra deinceps culpa fuerit, ſi te dimiſerimus, niſi quæ de Principatu ſcire cupimus nobis expoſueris. opinor enim meminiſſe te id recepiſſe facturũ, atq; adeò ſpopondiſſe. Nec tamẽ in præ-

ſentia ea petimus, quæ ſuperiori reliqua fuerant ora tioni, quo inſtitueras ordine. Sed vt rogantibus nobis reſpondeas, à te magnopere contendimus. Tunc ego cum aliquãdiu, tacuiſſem, neq; enim quid reſpõderem ſatis erat in promptu; ad me tamen reuerſus in hunc maximè modum verba feci. Ego ſanè Læli neutiquam liberi hominis puto, ſemper aliquid agere, & hoc ipſum nihil agere in tempore me magnopere delectat. Non eſt autem amici officium laboranti amico, omnibusq́; curis æſtuanti nouas adiicere moleſtias, dareq́; operam, vt ſuccumbat oneri. Quoniam autem tibi morẽ gerẽdum video, quamquàm certius erat abiurare, quàm dependere, neq; deerat quid cõtra teſtes, ſi modo teſtibus vſus eſſes, diceretur, ſubibo tamen, ac feram quicquid hoc eſt ponderis: dum me de iis tantum interrogetis (ut in veteribus ſcribi ſolitũ eſt cõditionibus) quæ ſciam, quæq́; potero. nec vitio detis, ſi quæ neſciam me neſcire fatebor, & non poſſe quæ non potero. LÆL. Nemo noſtrum aut tàm impudens eſt, aut tàm expers conſilii, vt ea de te quærat, quæ aut neſcieris, aut non potueris prouidere. Age fœlicibus auſpiciis ergo, & primam accipe quæſtionem. Dubitamus enim non leuiter, quæ ſit methodus, quæ Principatus via. EVT. Maximi quidem Philoſophorum hoc ipſum iampridem ſaxum, ò Læli voluunt, ſumpta occaſio-

ne à Reipub. administratione. quærunt enim possit nè omnino doceri, & auocantes paulatim ad magis cõmunia dubium, an virtus omnino doceri possit in controuersiam deduxerunt. Sed quæ de vniuersa virtute dicũtur prætermittam hoc tempore; meq́; ad Reipub. administrandæ rationem totum conferam. Et Plato quidem pluribus locis sentire videtur, nullam regendæ ciuitatis quæ tradi possit, esse doctrinam; hanc sententiam vrget, ac probat duabus (vt mihi meminisse videor) rationibus, quarum altera exemplis nititur, atq; est inductio, quæ Græcè dicitur ἐπαγωγή; altera verò nititur vi maiore, scilicet ἐπιχειρήματος. Ait itaq; quasi de industria neminẽ Reipublicæ constituendæ peritum, liberis hanc sciẽtiam tradidisse; & tamen esse credibile gnatis omnia voluisse bona. Vnde concludit nullam esse publicæ omnino gubernationis vel scientiam, vel artem, vel disciplinam. cum videamus cæteras artes, quæ ingenuo sint homine dignæ à parentibus filios edoceri. adducit Themistoclis filios, Periclis, aliosq́; innumeros, quos in Repub. imperitissimos cõfirmat habitos, cum eorum Patres summa floruerint authoritate, potentia, dignitate, honoribusq́; maximis. Addit præterea, cũ cæterarũ artium sint innumerabiles magistri huius omnino nullum reperiri; cũ nemo nolit hanc scire, prodigii simile portentiq́; videri. Cona-

tur etiam argumento quòd instituit comprobare. Quod enim Dei munus est, homines præstare non possunt, ciuitatis autem regendæ facultas superum est certissimum munus. Quod omnis sentiens vetustas Ioui, quem Deorum colebat maximum (quæ tẽporum ruditas, atq; imbecillitas erat) ciuitatum gubernacula delegauit. Quis igitur ausit hanc se aliis traditurum profiteri? vt in Deum censeatur iniurius? Itaq; plerosq; cernimus, qui Rempub. nunquam attigerunt, genere non adeò splendido, non maioribus clarissimis ortos: ciuiles tamen homines esse, ciuitates tueri, negocia publica prudentissimè administrare. Ad hæc, iudiciariam facultatem, quæ pars ciuilis sit, plurimos habere doctores, ipsam verò ciuilem disciplinã largiri mortalibus immortales Deos. Sed hæc Platonis sententia nõ tàm hominis esse videtur, quàm disputatoris acerrimi, eos redarguentis, qui cum nigrum in candida se vertere posse crederent, & ciuiles homines esse se, & alios item facere posse procaci temeritate existimabant. Nam si doceri regia nequit facultas, quid regem à sophista distinxit? quid in rege quærendo hospitis Eleatis inducta persona tantoperè laborauit? quid decem de republica libri? quid duodecim de legibus volũt? quid prætereà Socrates Alcibiadem, aliosq; nonnullos à Repub. deterrens? nõ enim quispiam alterum ab ea

deterruerit

deterruerit ineunda prouincia, cuius ſit inſcius ipſe, quamq; docere ſe poſſe facultatẽ diffidat. quin & Socrates Alcibiadi promittit ſe vnum eſſe, quem ille ſi ſequatur primas poſſit inter ciues obtinere partes. Et Platonis quidem argumenta, quæ refellentis ſunt potius (vt dixeram) alienã temeritatem, quàm quid ipſe ſentiret explicantis dilui (vt cenſeo) poſſunt. Cõcedendum eſt enim magnorum virorum filios patrum non æquaſſe virtutem, vel quòd imbecillo fuerint ingenio, vel certè degeneri, vel quòd occupati parentes Repub. adminiſtranda filios erudire non valuerunt, vel præſtare fortè exiſtimauerunt tempus, quòd in liberis erudiendis impendendum erat, dare patriæ, vel ſunt arbitrati, optimæ, atq; maximæ diſciplinæ inſtar adoleſcentibus eſſe ſua exempla, ſuaq; veſtigia. Nam quòd doctores non eſſe dicat, nulla cauſa eſt. omnes enim qui diligenter patriam gubernant, quiq; conſulunt ſaluti communi, adoleſcentium ſunt præceptores. Diuina verò munera a Deo licet oriantur authore, atq; Principe, tamen hominum miniſterio vtitur freqũter Deus ipſe, ut hominibus impertiat. Conſtat igitur doceri regiam poſſe diſciplinam, atq; ob eam cauſam diſputatione priori eos, qui ad Principatum educarentur, parẽtibus iura dicentibus, vel legationes audientibus, vel deniq; negocium publicum gerentibus intereſſe volebamus.

lebamus. Quæ sunt igitur (si quæritis) præcepta, quæ docendus sit Princeps, quãquàm superiore sint quædã explicata sermone: quãquàm vnum illud cõtinere videatur, vt Deum quantum homini liceat imitari nitatur; non tamen sigillatim censeo proferenda: inciperemus enim nec tempus, locum nobis finiendi suppeditaret. Itaq; si qua videbuntur paucis explicari posse; quæritote, quæ longioris indigent orationis tempori opportuniori mandentur. Hoc tamen scitote hanc esse Principis maximam disciplinam, vt se Dei Opt. Max. existimet esse ministrum, vicemq; secundorum gerere Deorum, quibus pater præcepit opt. vt quemadmodum se viderant, nectẽtẽ, efficientẽq; cœlestia: sic illi quæ restabant, vt mũdus perficeretur facienda curarent. Ita Princeps si quam rationem parens sequitur orbis in tantæ molis opere gubernando sectetur, non vtiq; deerrabit, veramq; Principatus disciplinam fuerit assecutus. Verùm hæc nec nostri ingenii sunt, nec temporis huius. Respondi vobis verbosius, quàm fortè velletis, vt oratione prolixa, nè plura quæreretis, nausea vide licet molestiaq; cõfecti assequerer. LÆL. Errasti sanè, teq; tua fefellit opinio, nam neq; longus sermo fuit, qui nihil habuit non necessarium, & audiendi plura nobis cupidinem incitasti. Quamobrem dicas oro, quæ sunt Principi potissimum ante oculos

habenda.

habenda. EVT. Næ vos estis eluones quidam disci plinarũ: nam si mihi non desistitis esse molesti, quid quæso fieret, si doctiorem aliquem adepti parem interrogandi libertatem haberetis? necaretis hominẽ profectò nisi fallor. Sed quoniam reditus non patet: pergamus qua cœpimus, fortes enim forsitan fortuna iuuabit. Verùm attendite, rem.n. cũ difficillimã, tum scitu dignissimam tractãdam proposuistis. Principio illud teneatis oportet geminam personam inesse Principi. Alteram imposuit Natura, Alteram Principatus. illa prior honestissima, admodumq; decora: illustrior hæc posterior, præstantior, magisq; diuina. Prior communis est Principi cum cæteris mortalibus omnibus, quæ efficit, vt se corpus, vitãq; tueatur, paretq; tùm sibi, tùm suis necessaria, nihil agat turpiter, nihil indecorè, verum inquirat, cæteraq;, quæ tribuit homini peragẽda natura, more cæterorũ efficiat. Posterior cõmunis est ei cũ iis, quos Deus mundo præfecit tuendo, siue Dæmones, siue Angeli, siue Dei vocentur secundi: idem enim exercet officium, eodem fungitur munere. Itaq; peculiarem habet genium, neq; à numine deseritur vsquam; quod intelligens apud Homerum Nestor, Agamẽnonis probauit somnium, quòd Regum de maximis rebus oracula credebat esse somnia, quippe quibus nunquam non aderat Deus. Lucius quoq; Silla, qui

Romanam

Romanam Rempub. magna cum strage ciuium, tandem recuperauit, ad Lucullum in Cõmentariis scriptum reliquit; id maximè verùm putaret, quòd in somniis vidisset. ipse quoq; Lucullus somniis diligentissimè curandis operam semper dedit; cuiusmodi est illud, cum Sinopem vrbem obsideret, quàm Barbari tenebant prædones; in somniis quendam sibi dicentem animaduertit, Autolycum secum loqui velle, erat autem statua lapidea, quam fugientes Barbari in litus protraxerunt, sperantes secum ferre posse, difficultate tamen perspecta reliquerunt. quam repertam Lucullus in omni honore habuit, restituendamq; curauit. Vnde patet somnia Principũ Oraculorum vim quandam habere. Hæc igitur persona maximo cum labore est Principi substinenda, cuius purpuræ, ornamentisq; cæteris, atq; splendori inuident pleriq;, qui curas, qui si semel experirentur vigilias, Deum, à quo facti Principes essent summis præcibus obsecrarent, vt priuatæ denuò redderentur vitæ. Memineritis autem de legitimo mihi Principe sermonem esse, qui colatur, ametur, quem suspiciant omnes, pro cuius salute se ipsos sponte deuoueant. Absint Tyrannorum terrores, metus, suspitiones, perpetuaq; supplicia, exulent, atq; exterminentur à tantorum virorum colloquio. Itaq; videre potestis diuinã illam principis personam curis, atq;

laboribus

laboribus non carere, neq; omnino ſine periculo viuere. Multæ enim fiunt bonis inſidiæ, cùm & aliis de cauſis, tùm ipſius odio, atq; inuidia virtutis, cuius vim eximiam plures admirantur, quàm amant. Diſtinguenda eſt igitur Principis vita in pacis, belliq; tẽpora; oportetq; ſic eſſe paratum, vt nec vincatur bello, nec in pace à iuſtitia deficiat. nam quò melior eſt, eò (vt paulò ſupra diximus) plures inſidiantur. habet enim aſſeclas nequitia multos. Sed vtrumq; tempus ſi placet ſeorſum videamus: ſi prius pauca vtriq; expoſuerimus conſentanea. LÆL. Nobis verò placet; viderisq; optimè rem nobis enarraturus, quando diſtinctis temporibus ſingula perſpicuè cognoſcemus. EVT. Annonæ cura communis eſt, & belli, & pacis temporibus. Nam caritas multorum fuit cauſa frequenter malorum. Itaq; nè deſint commeatus bello, néue paci venalis iuſto precio victus, danda eſt opera Principi; qua in re Regum Perſarum inſtitutum placet: geminos enim prouinciis ſingulis creabant præfectos, legibus vnus, & iuri dicundo, idem prouinciali præſidio præerat. Alter culta notabat ab incultis, dabatq; operam, vt quàm plurimũ aratores & meterent, & reponerent: idem in cæteris fructibus fiebat. Et quoniam Principi ſecundo loco videndum eſt, vt quàm pauciſſimi ſint pauperes, vt ſi quando ſit opus tributo, & libenter pen-

dant, & commodè: ille ipse præfectus dabat operā nè homines ociosi vagarentur, vt artificia omnia diligentissimè tractarentur. quæ res & prouinciam vniuersam, & Regium locupletabat ærarium; & quietiora omnia magistratibus reddebat. Est quidem natura comparatum, vt homines ocio marcescere nolint. cum igitur vacat, mala cogitant, & cogitata perficiunt, coguntq; Principem vel inuitum supplicium sumere. Ad hæc furta, adulteria, cædes, cæteraq; mala facinora parit ocium; Principem etiam ipsum lædit. etenim eò vsq; malorum crescit audacia, vt res nouare cupiant, omniaq; misceri, atq; turbari, existimantes legum, atq; iudiciorum interitu tutò in sua se scelera ruituros, impuneq; laturos quicquid peccauerint. Quamobrem eiiciendum est ocium, vt pestis teterrima regni. Sed hoc loco nonnulli, & docti quidam viri à me dissentiunt, qui fatentur populares pauperes non esse optandos Principi: sed nè nimis quidē diuites. Diuitiæ inquiunt fastum augēt, animos faciunt, dant spes altiores. itaq; nō dubitant etiā petere Principatū, qui sanè non penitus errant, nec tamen omnia dicunt. nam si seditiosum animū, tumentēq; ambitione, comitantur diuitiæ, deterioribus rebus causam præbent: si mitē, atq; modestum, Principē plurimū iuuāt. volo ego vigilare Principē, oculos, atq; aures Persico more in omnibus ciuitatibus

bus habere: primis conatibus malorũ obuiam ire, nõ præbere se facilẽ insidiãtibus, & quemadmodũ dicebã obstare principiis sicut ĩ morbis, nè sit post acriore vtendũ medicina. quãquam eum, quem describimus Principem omnes pariter amabunt; nihil igitur erit quòd metuat. Sed quoniam multi sunt animorum recessus, qui cognosci non facilè possunt, si in vtram peccandum est partem timidum malo, quàm incautum. Sit igitur hæc summa, opulentum regnum, & ornamenta pacis, & belli plurima præbere subsidia. Locus hic admonet, vt de vectigalibus, deq; exigendis tributis verba fiant. Sed vereor nè vos, qui ad hanc me orationem tanto studio compulistis, alios nunc habeatis animos, meamq; oderitis loquacitatem, vel potius garrulitatem. LÆL. Benè quidem tecum agetur, si te à nobis tàm facilè, quàm existimas explicaris: certum enim nobis est, atq; decretũ, te nõ ante dimittere, quàm nobis omnia, quæ ad hanc rem pertinent explanaris, atq; vt sic dixerim, enuclearis. Quamobrem bonum tibi animum para, & accingere vt totum nobis Principem, quemadmodum optamus illustres, atq; ante oculos ponas. EVT. Hæc sanè vis est, sed quoniam vobis vti licet, ferendum est quicquid statueritis, atq; vltrò pergendum. Amplificabit igitur Princeps quàm poterit maximè vectigalia imperii, quàm minimo

priuatorum incommodo; non est enim veri Princi pis, ut augeãtur vectigalia priuatorum facultates minuere. Itaq; metallorum, salinarum, sationum publicarum fructus ampliores sibi parabit; Pascua etiã maiora faciet, ut par sit sumptibus, quos non leues Principatus habet. Quòd verò ad priuatos attinet, quæ à maioribus sunt instituta, grato animo vectigalia suscipiet, pendere maiora, nisi magna necessitas cogat nunquam compellet. Tributa verò nisi quã necessitas vrgeat, nulla edicet: est enim inuisa tributorum collatio multitudini. Non modo quia conferunt de suo, sed quia metuunt nè quotidie sint grauiora pensuri. Cum autẽ quæ res Reipub. grauior ad tributa exigenda compellet, curet, atq; efficiat, vt sine acerbitate exigantur, & vt omnes intelligant inuitum, atq; tergiuersantem Principem ad tributorum exactionem deuenisse. nam licet nomina ipsa tributorum homines deterreant, benignitas Principis, atq; humanitas, dolorem omnem, atq; terrorem facilè abiiciet: præsertim postquàm fuerit appẽsum. neq; potest perpetuus esse Principatus, in quo frequentiora sentiantur tributa, nisi fortè, vt equi calcaribus, ac frenis, sic ambitiosi, procaces nouarum rerum cupientes homines coercentur tributis. nam cui non licet sua vti pecunia, cum intenderit lucro, desiderat quidem mouere principatum, non tamen

potest

potest paupertate prohibitus. Nunc si placet ad ea quæ supra nobis sunt posita tempora redeamus, a pacis tempore sumpto principio. in pace Princeps hãc potissimam desumet operam, vt sui manus habeant abstinentes, néue alienis corrumpantur viciis, ut leges seruentur penitus. est enim ciuitatis pernicies transgressio legum: quanquàm enim Anacharsis ille Scytes leges telis conferebat Araneorum, quæ à maioribus rumpuntur animalibus, minora quidem capiunt, atq; vorant. Sunt tamen nihilominus seruandæ, quoniam est apud superos lex, iuxta diuinam Platonis sententiam, quæ harum est soror, quæ nullis casibus, nullis mutatur sæculis ab ipso numine manãs, quæ mortalium omniũ superat ingenium; puniturq; illos, qui terrenas has leges contemnunt, atq; deiiciunt. quæ tamen sit, ferendarum legum ratio videndum est. Putant enim quidam (vt est apud Gorgiam Platonis) leges ad principis vtilitatem accommodandas esse. Alii verò popularium commodis consulendum existimãt. Media quæ, & tertia, & salubrior opinio, & ad principis, & ad priuatorum vtilitatem ferendas leges profitetur. Principis quidem, vt subditis vtatur placatioribus, priuatorum vt æquitatẽ in omnibus seruent, retineantq; incolumen, sanctam humanam societatem. Fateor tamen, neq; omnibus prodesse, neq; gratas vniuersis esse posse, sed maxi-

mæ

mæ ſemper conſulendum eſt parti. nolo Draconis leges, quas ſcriptas ſanguine ferebant Athenienſes, quas antiquauit ipſa conſuetudo; neq; nimis diſſolutas, ſed humanas, atq; modeſtas, & legis ſimillimas diuinæ. Duo ſunt magnopere curanda Principi. Primum vt quæ priuati inter ſe contraxerint pacta, conuentaq́; ſint rata: ſic enim conſtabit fides, quòd fundamentum creditur eſſe iuſtitiæ. Alterum nè ære alieno, vel priuatim ſinguli, vel publicè ciuitates premantur. ſolet enim anſam plurimis dare malis æris alieni magnitudo. Deſiderantur tabulæ nouæ, quæ ciuitates perdunt, atq; peruertunt: & homines deſperatis, deploratiſq́; rebus, nouis conſiliis animos, atq; aures accommodant, ipſiq́; Principi frequenter negocium faceſſunt. Præterea ſicarii, graſſatores, atq; id genus homines hinc trahunt originem. nam qui non ſunt ſoluendo; quamlibet ineunt rationem, nè ſoluant, vel vt de alieno ſoluant; omniaq́; clandeſtina ex hoc fonte oriuntur facinora. Itaq; & ſumptuariæ leges ſunt imponendæ, vt pro cuiuſq́; dignitate, facultatibuſq́; impenſæ fiant, & libidines hominum omni ratione frenandæ. Si verò ciuitatē æris alieni infectam peſte nactus ſit Princeps, det operā, vt quàm minimo partium detrimento abſumatur. ante omnia teterrima fœneratorum rabies eſt explodenda; Plurima enim debita committuntur ſpe fœ-

noris, & comulantur vſuris. Videndum igitur eſt, tùm vt verſuræ fiant, cùm vitari nõ poterunt. Apud quoſdã Parthorum fuiſſe legitur magiſtratus, cuius erant munia videre, atq; cognoſcere, quæ nam in ciuitate verſuræ fierent: nec pati fieri niſi cognita, & probata cauſa, tãtumq; poſſeſſionum haberet is, qui faceret, ut annuis ſolutis vſuris, ſorteq; reddita, tantum ſupereſſet, quantum ad victum, cultumq; toti ſuppeditandum familiæ ſatis eſſe iudicaretur: ita vt vxorum, filiarumq; dotes extra pacta fœnoris eſſent. Mihi ſatius videtur cum fœnore fœneratores procul abigere. Homines enim ad induſtriã ſe, atq; laborem propenſiores exhibebunt; ſi omnis expectatio ſit adempta fœnoris; multiq; prohibebuntur patria obligurire bona, cum pecuniæ mutuandæ ſublata commoditas fuerit. Eandem in vendendo, atq; in emẽdo curam ciuitates deſiderant: nè liceat vide licet omnibus pro arbitratu vendere, aut emere: ſed iis quidem vẽdẽdi, quibus fortuna nouerca aliter viuendi viam, rationemq; negarit. emendi verò iis, qui & facultates habeant, vnde pẽdat precia, & in aliorũ fraudem non emant; & ſint ſuæ rei benegerentes.

Vendant præterea qui redhibere poſſint; probareq; explicata ſine vicio ea, quæ vendiderint. Vnde eſt illud vetuſtiſſimum quicquid vitii venditor ſciuerit, emptori ſignificare teneri. alius tamen erit locus de

legibus

legibus dicendi copiosius: nunc ad id, quòd volumus satis. si prius monuerimus iuuentutis educationem nostris temporibus negligi; cui rei veteres legumlatores maximam adhibuerunt diligentiam. est enim turpissimum, cum nutriendis arboribus tantum curæ, tantum studii ponatur; erudiendæ iuuentuti, quæ omnium est res maxima, maximeq; necessaria, nullam penitus operam impendi. Sed hæc in alio Reip. genere diffusius, latius, copiosius disputantur. At quoniam non minus ad Principem spectare videntur, hoc quoq; loco tangẽda fuerunt. In pœnis etiam infligendis Deum principi proponimus imitandum, qui mitissimè plectit, etiam citra merita. Volo ad pœnam consideratissimè Principem accedere, diù, multumq; cogitare, inuitum, ac recusantem condemnare: & quasi secantẽ viscera sua; paucorum supplicio sanare multos. Hæc veri principis opera sunt, qui patriæ pater, qui medicus, qui pastor iure vocabitur, quem non dedignabuntur homines vocitare dominum. Qui cum leges ipse condat, etiam solutus legum videatur laqueis, legibus tamen obtemperabit: vt sit aliis exemplum legũ seruandarum. sicut enim animantur milites incenduntur, inflãmantur cum in opere faciundo, nõ verbo solum hortantem cernunt Imperatorem; sed laboris etiam partem subeuntem, atq; operis. sic præ-

uaricari legibus erubescit, easq; veneratur, & colit, qui Principem legum audientem dicto cognoscit, seq; sponte subiicientem. Est enim magna Principatus dignitas re Principem esse; legum tamen obseruãtia æquare se cæteris, adhortariq; ad legitima tuenda munia. LÆL. De legibus quidem multa sunt à te grauiter dicta. Sed remanent quædam, quæ nisi molestum est, aueo sciscitari. EVT. Mihi quidem quoniam saltare semel didici, nihil erit graue, quòd rogaueris. LÆL. Dic igitur de magistratibus aliquid, deq; re pecuniaria. EVT. Prolixus admodũ nascitur sermo. sed non iniucundus, nec inutilis cognitu. Solet enim quæri vtrum Princeps sit magistratus. Nam pleriq; volunt, non magistratum esse, sed moderatorem magistratuum. Sunt etiam qui negẽt authoritate perpetua præditos Magistratus creari solere. Ego verò si meam sententiam interponere turpe non est, Principem dico magistratum esse; nam tribus modis magistratum finiri video. dicunt enim aliqui eum esse magistratum, qui ex legibus rẽpub. administrat. Alii verò omnes publica tractantes nominant magistratus. Tertii magistratus eos dicunt, qui in libera ciuitate uicissim parent, & imperant. Quo de magistratu non est nobis hoc tempore sermo: Cæteræ verò descriptiones in Principem vnicè quadrant. nam in gubernanda ciuitate, secun-

dum Deum Opt. Max. leges duces habet, atq; authores, & Rempub. vniuersam, non hanc, vel illam partem tuetur. Quem decet tametsi rationes non sit redditurus, sic se tamen gerere, ac si coràm omnibus relaturus esset. Constet ergò nobis Principem & magistratum esse, & cæteris præfici magistratibus. In magistratibus verò cooptandis summa est adhibenda cautio, vt ii legantur à Principe, à quibus ipse beneficio potius afficiatur, quòd curam susceperint, quàm in eos conferat beneficium. Optimum est rogatos, atq; adeò coactos magistratibus fungi, nam & Principis gloriam, & vtilitatem curabunt, & omnibus in rebus communi saluti prospicient. Scio nouum visum iri plerisq;: est tamen hoc quod dico verissimum. nã qui magistratus, vel præmii loco, vel decoris petunt, emisse sibi videntur honorem: quò fit, vt omnia metiãtur lucro. Fastus præterea tãtũ, tã tũ superbiæ habeãt, vt ferri nullo modo possint. rectè igitur, atq; ordine monent, qui negant eos ad magistratus esse sumendos, quibus debeat Princeps. Sed illi multo magis sunt efferendi qui debeãt, & se Principi debere fateantur. tradunt Aemylianum Scipionem, qui Numantiam, Carthaginemq; deleuit (duos Imperii Romani terrores) in prouinciam aliquando profecturum, ab assecla quodam, atq; rectore rogatum, vt præfectum se duceret in prouinciam: pri-

mum ſubticuiſſe, mox etiam apertius negaſſe. Itaq; cum ille ſtomacharetur, atq; ægreferret, nè mireris amice reſpondiſſe Scipionem, iam enim ego pridē eum rogo, cui dignitatem meam cariſſimā eſſe ſcio, nec adhuc impetrare poſſum. & meritò quidem, nā qui gratiæ loco ſibi dari magiſtratus poſcunt, proprium commodum quærunt, qui autem ipſi rogantur, tanquam donati munere aliquo, & publicū decus, & Principis maieſtatē tuentur. Sed in hac re multa diſputari ſolēt, & variis certatur opinionibus. ac quidam ciuiū plurimos in magiſtratu eſſe volūt, alii verò pauciſſimos. Qui plurimos magiſtratum gerere cupiunt, a populari Repub. id ipſum mutuantur, in qua vt pauperes locupletentur, plurimi creantur magiſtratus. quare longè à Principis gubernatione diſſidēt; vnius.n.regimē ab illa populari colluuione cēſetur alieniſſimum. eſt etiā verendum nè multitudo obſit potius Reip. quàm proſit. nam dum inter ſe dimicant, Rempub. deſerunt in medio poſitam. Qui autem pauciſſimos, plus oneris quàm neceſſe ſit magiſtratibus imponunt. Tenendum eſt igitur medium, vt tot fiant, quot ciuitatis exiget, vel magnitudo, vel facultas: reliqui priuati viuant, quando magiſtratus eſſe, & Remp. ignorauerunt adminiſtrare. Quæritur etiam, ſingulis nè rebus, ſinguli ſint præficiendi, an vnus ſufficiat pluribus. qua in re &

ciuitatis est habēda ratio, & eius, qui gesturus est dignitatem. Si. n. & patietur ciuitatis status, & is ipse, ad quem spectat ferre posse videbitur, vnum pluribus præfici, non est effugiendum. Præstat autem singularum rerũ singulos esse curatores: ita tamen vt neq; multitudo superet, neq; paucitas rerum negligat curationem, vel corruat certè publica salus capite vacans. Solet etiam dubitari, num generi sint dignitates tribuendæ, num potius opibus, num etiam experientiæ, ac virtuti? Quòd ad me quidem attinet, postrema magis probo: experto enim credendum est maximè; Virtus autem omnium bonorum est parẽs, est potens, est laboriosa. Itaq; quorum aliàs vita probata est, eorum arbitrio tutò credi salus videtur cõmunis. qui verò virtute excellit, ocium sanè præstat. quietis curatores, ocii, atq; pacis erunt ministri, dabuntq; operam nè quid ab eis desideretur, nè quid detrimenti capiat Respub. Non igitur certis ordinibus lectos, sed elegantia vitæ, animorum integritate, atq; probitate volumus magistratus. Quidam addunt oportere fidos etiam esse Principi, quod inane sanè videtur; illi enim quem constituimus Principi nemo non erit fidus, amabitur enim ab omnibus, atq; obseruabitur, vt in cuius salute omnium vita sit posita. Sed de magistratib. hactenus. LÆL. Satis quidem dictum videtur: verùm est, quod à te

requirere

requirere præterea libeat. EVT. Dic age, mihi.n. ſtatutum eſt de iis, quæ potero, quæq; ſciam nihil tibi omnino negare. LÆL. Quoniam igitur duas Principem induiſti perſonas, altera iam pertractata, alteram vt nobis gratificeris ediſſere. EVT. Optimis nobis opus eſt auſpiciis, vt parua nauicula, tantum ingreſſi pelagus, & euadere ſalui, & ad portum peruenire valeamus incolumes. Sed quò fata vocant eundum eſt. ea quam natura impoſuit perſona Principis perſonæ cedit. multa ſunt enim quæ conceduntur priuatis, negantur principibus. quædam etiam in priuatis laudantur, quæ vituperantur in Principibus, quæ colligere veſtra prudētia quibit; ſunt enim expoſita palàm, neq; diſputationis egent. Princeps igitur, ſeipſum circunſpiciet, ſuaq; dicta, & facta omnia examinabit, nè quid aut fecerit, aut dixerit, quòd hominum vituperationem promereatur. Abſit ſcurrilitas omnis, omniſq; leuitatis ſuſpitio, temeritas ēt abiiciatur, deniq; veterem exuat perſonam, nouam induat. Sed res ipſa nos hortatur, vt ad virtutes aliquando veniamus. Liberalem oportet eſſe Principem, ita tamen vt ſumptus ſuppeditentur redditibus, néue de alieno dare cogatur. Qui enim aliis aufert, quòd largiatur aliis. ſiue Princeps ſit, ſiue minime, peruertit, perdit, deſtruit humanam ſocietatem; & quoniam inuitis dominis attrectat aliena, fur

est meritò iudicandus. Nihil igitur donare Principem placet? imò plurima: sed cautio est, vt de suo det, vt sibi prouideat, nè desit vnde ordinarii fiant sumptus, atq; impensæ deducantur. Quòd ad fortitudinẽ attinet, malo promptiorem consilio, quàm manu Principem esse; si tamen casus tulerit, vt manu sit quoq; decertandum, Principem ita pugnare præcipiunt, vt meminerit in se vno esse omnia posita, se cadente patriam quoq; cadere. Sed accidunt tempora in quibus pro salute communi propriam effundere Principem oporteat; quæ licet rarò contingant, eueniunt tamen aliquando. vt Codro Atheniensiũ Regi, cui datum Oraculum dicitur; ex altera parte regẽ, ex altera exercitum Diis manibus deberi, Lui matri, matriq; telluri. quod cum Oraculum hostibus quoq; cognitum sciret, edictumq; nè quis Regem Atheniensium perimeret; ipse incognitus penula mulionia indutus hostium ingressus est castra, deditaq; opera cum milite rixatus, quod maximè petebat ab eo est interfectus: cuius in honorem in posterum Atheniẽses Regnum funditus substulerunt. Sed hæc (vt dixi) rarò admodum cõtingunt: Cæteris in temporibus senescere Principem commodissimum est. Munificentia principe videtur dignissima, sed ita vt quòd munificum fuerit, sit etiam vtile, vel Diis, aut hominibus honorificum. Vt munire arcem, tutũ

portum

portũ ſtruere, muros reficere, templa Deum ornare, nauibus naualia replere, aliaq́;, quæ & ſpecie, & vſu probentur efficere. ſemper tamen videndum eſt nè vires ſuperentur impendio, ne videlicet violetur humana ſocietas. De Modeſtia, Temperãtia, Continentia, omniq́; frugalitate, quod dici poſſit ſatis apertum eſt. Aditus faciles, benigna reſpõſa, atq; grata Principis populares animos facile conciliant. Contra verò ſuperba, atq; contumelioſa mentes hominum auertunt. Demetrio Antigoni filio Macedoniam obtinẽte anus quædam aliquid petitura frequens aderat, ut audiretur flagitans, cum rex ociũ ſibi non eſſe diceret, nè regnes inquit anus, ſi audire non vis. idem Demetrius cum præ faſtu neminem admiſiſſet, edixit tamen aliquando, vt qui petere aliquid à ſe vellet, ſcriptum ederet; ex vniuerſa cõcurſum eſt Macedonia, Rex ipſe Chirographis oneratus. quæ omnia cum in veſtis lembo depoſuiſſet, proſequẽtibus cunctis, reſponſaq́; ſumma cum expectatione operientibus, ad Pontem peruenit. diductoq́;, atq; excuſſo ſinu, in flumen omnia demiſit: nec multò poſt amiſſo regno coactus eſt exulare. Amatur comitas in Principe valdè, quam condiendam exiſtimo, grauitate quadam, atq; maieſtate. Et quoniã ſemel cœpimus perſequamur. Sobrium, victu parcum decet eſſe Principem. De cultu, atq; ornatu

veſtium

vestium satis magna dissentio est. Nam quidam medium quendam inter priuatum, & maximum esse volunt, quorum sententiæ me non piget esse: nõnulli nihil differre oportere Principis à priuati ornatu cultum putant. Tertii maximè à priuato distinctũ. adiice si placet quartos, qui asserunt in publicis ludis, festisq; diebus, atq; cum iura dicuntur, augustiore vestitu regem esse oportere; in quo publica consistit maiestas; cæteris diebus nihil, aut parum à priuatis differre. Restat vnum in quo certè Barbaros quosdam Principes ridere meritò possumus, qui adorari se volunt vtroq; poplite flexo. Reuerentiam tribui Principi volumus, Deum vnum adorari. LÆL. Oblitus mihi videris Principis exercitationes exponere, cuiusmodi potissimum esse debeant. EVT. Non exciderat hoc sanè, sed consultò prætermittebam: si fortè citius possem elabi. Sed quoniam tardè festino, hoc quoq; persequar. Principem exerceri oportet, & salutis gratia, & vt corpus experiatur in armis, aptumq;, atq; idoneum bello reddat. Sunt autem exercitationes, pilæ lusus, decursio, venatio, quæ instar est belli, quàm minimo fieri possit cum periculo. Simulacrum etiam pugnæ non displicet, si modo nulla temeritas insit. vidimus enim Henricum Francorum Regem miserando infortunio dũ temerè se committit simulatæ pugnæ, è medio non

sine

ſine maximo generis humani periculo fuiſſe ſublatum. Et paulò ſuperioribus annis vnicæ adoleſcens indolis Bonifatius, qui Monteferratenſibus imperitabat, imaginario certamine ſe exercens equi caſu interiit. Vnicus erat virilis ſtirpis Ferdinando Regi Hiſpaniarum Ioannes tot regnorum, tantæ potentiæ futurus hæres. qui tamen inter decurrendum excuſſus equo periit; magnamq́; mœſtitiam, & ſummum ſui deſiderium, non ſolum parentibus, ſed omnibus etiam populis reliquit. Videndum eſt igitur Principi; quomodo ſe exerceat, quibus equis, quibus comitibus ſe credat. non enim repetam ſæpenumero, non inquam ſibi ipſi, ſed omnibus populis nocet. Sed pro temporis huius ratione ſatis Principem exercuimus. LÆL. Quid aliud quòd ad Principē pertineat, atq; ad Reipub. adminiſtrationem tibi reſtare videtur? dic obſecro. ego enim ſingula interrogare non audeo, nè tibi ſim moleſtus, & interim audire cupio; libera hoc me quæſo pudore: & quæ minus adhuc explicata ſunt, enarra. EVT. Pulchrum ſanè, atq; elegantem mihi narras pudorem: carptim, atq; per partes, onerare recuſas, quòd ferrem fortaſſe, vniuerſum verò pōdus, atq; omnem imponis ſarcinam; nec tamen ſum ferendo. Verum quoniam ſic erubeſcere conſueſti, geram tibi morem quòad potero, ea tamen lege, vt ſi cecidero, vel me adiu-

ues, vel onus certè detrahas. LÆL. Perge non enim deerimus, nam plures sumus, teq́; quilibet pro parte iuuabit. EVT. Soboli Princeps operam dabit, est enim magnum regni subsidium hominum multitudo, & ad bella substinenda, & ad ornandam pacē. Itaq; lege decernet, vt qui ad nuptias apti sunt, vxores ducant, liberisq́; dent operam. Prohibebit adulteria seuerissimè, ne contaminentur familiæ, polluãturq́; gentes. etiam apud veteres curatum est, vt viduæ, quæ partui essent idoneæ, nuberent. Itaq; laudatur Metelli Censoris oratio apud Romanos: quoniam vulgo ducere viduas recusabant. Hortabatur igitur nè viduarum contemnerentur connubia, id enim vtile Reip. admodum censebatur: præsertim cum esset magna viduarum multitudo, extinctis viris bellorum diuersis casibus. Illud verò præcipi etiam solet, vt ratio generum seruetur, vt pares iungantur paribus; quòd mihi non tantopere curandum videtur. Illud maximè, nè iungantur bonis viris, atq; claris, si fieri possit turpes, infames, degeneresq́; mulieres. Et de nuptiis quidem multa præcipi solent, quæ nobis sunt consulto prætermittenda; videndum est tamen, vt quoniam patres sequuntur liberi, nullum genus despiciatur, quod vitæ dedecus, labesúe maiorum insignis, non fecerit contemnendum; sed transeamus ad reliqua. Præcipitur, quoniam

niam omnium commoda Principi ſunt inſpicienda; rem vt nummariam diligenter inſpiciat, vt certum ſit precium, neq; mutetur ſi fieri poſſit. Accidit enim ſæpenumero mutandis preciis ingens iactura. quare cõſtans nummarium debet eſſe precium. Huc accedit quòd ſolutiones propter crebram mutationem nummorum fieri ſedulò non poſſunt: nec enim quid, quãtumúe daturus, aut accepturus aliquis eſt, ſcire poteſt: vnde noſtra patrum, atq; maiorum ætatibus, pleriq; decoxerunt, qui alioqui ſingulis quod debebatur facilè dependiſſent, ſi modò ſuo more viuere licuiſſet, ac pecuniam quo precio acceperãt erogare. Sed locus, resq; iam poſcit, vt ad bella, bellorumq; tempora tranſeamus; quod nobis ſecundũ propoſitum fuerat, tempora actionum Principis diuidentibus. LÆL. Commodiſſimè nobis accidit, vt te hodie conueniremus ocioſum, quod rarò contigerit aliàs: abutemur igitur ocio tuo, neq; te ante dimittemus, quàm omnia perfeceris, quæ exponenda ſuſcepiſti. EVT. Nihil noui prædicas; ſcio enim te non ante ceſſaturum, quàm ipſe penuria, atq; inopia rerum coactus, tandem perorauero, ſed iam de re dicendum. Belli iura & ſcire Principem decet, & ſeruare. bella tamen non temerè ſuſcipere; nullum enim ſine periculo bellum fieri conſueuit: nam Mars eſt communis. Plurima propterea belli ge-

rendi præcepta traduntur, quæ paucis abſoluam. Diuidunt belli rationem in tria, qui tractant iſthæc membra. Primo quidem indicendi ratio belli continetur, altero gerendi, poſtremo deponendi:ſuſcipiendum profitentur bellum, quòd ſit iuſtum: iuſtum autem variè interpretantur. Romanis enim legibus iuſtũ id bellum cenſetur, quod Princeps, populuſúe Principi, ſeu populo indicit perduelli, quæ Philoſophi minime probant. non enim ſuſcipientibus bellum perſonis iuſtitia conſtituitur, ſed cauſis. Verùm Romanis legibus vtilitati, vel potius ambitioni, atq; cupiditati magis conſulebatur, quàm iuſtitiæ. ſtatuamus igitur quæ iuſtæ ſint belli cauſæ, quo pacto, quando liceat bellum ſuſcipere, quandoúe ſecus, facilè dignoſcemus. Tres igitur bellorum cauſæ probantur; tenemur enim nos, noſtraq; defendere, & pro aris, ac focis pugnare. vnde milites apud Platonem vrbium nominantur cuſtodes: quoniam defendere ſe ipſos, totamq; ciuitatem, præcipuum munus eſt militare. Secunda verò cauſa, cum iniuria accepta, res non redduntur repetitæ: vt ſi nauicularii mercatoreſúe capti retentæ merces, interfecti ciues, impediti cõmeatus, aut aliquid ſit perpetratum huiuſmodi: quæ tamen cauſæ tũ habentur iuſtæ, cũ res repetentibus non reſtituuntur. fieri nẽpè potuit vt publico conſilio non ſit iniuria facta. qua-

re

re inuentũ est vt res repetãntur, quibus nõ redditis, tametsi consilio publico non sit peccatũ, publicè tamen culpa suscipitur, bellũq; fit iustũ. Tertia verò ratio dicitur, quãdo pacẽ publicã impediunt finitimi, vel impedituri putãtur, nisi præuenerimus. quo casu etiã nõ indictum bellum geri, atq; administrari iure optimo potest. quã rem COSMVS, expertus est Princeps omnium prudentissimus, qui nisi præuenisset vobis bellum inferre, intra patriæ viscera sensisset arma, quæ inimico animo in illum parabantur, iam iamq; fuerant sumenda; non à vobis quidem, sed ab iis, qui tenebant habenas, quiq; Reipb. ea tempestate præerant. iustum igitur erit bellum, quòd pro patria iis, quas diximus rationibus aduersariis indicetur: cuius erit finis, vt sine iniuria in pace viuatur. Videndum igitur est Principi nè ad arma temerè currat, seq; bellorum periculis obiiciat inconsultò. Itaq; illud Augusti laudatur in primis, quem dicere solitũ ferunt, vnum se ciuem seruare malle, quàm hostes perdere mille. eundem dixisse ferunt eum, qui pacatis bellum intulerit stultum lusorem præseferre, qui talos iacit ad certissimam iacturam. Fiet autem iustius bellum si indicetur antequàm geratur, non enim boni viri fraude pugnant, vulpium more, sed instar Leonum ui, atq; virtute. De indicendo bello satis. Non enim per feciales more veterum indici-

tur:

tur periit enim omnis ferè religio, quamuis ius lega tionis remaneat: quo tamen raro principes vtuntur, regemq; armorum appellant, in quo ius legationis valet, cætera religione sublata. Nunc degerendo ni si magis aliud placet. LÆL. Hoc ipsum volumus: quare perge quemadmodum cœpisti. habes enim gratissimos auditores. EVT. Iubent ergo vt si fie- ri possit bello Princeps abstineat, alteroq; gerat im peratore plus enim amittitur, vno sublato Principe, quàm superatis hostibus acquiritur. Asserunt præ- tereà eum imperatorem Principi deligendum, qui & manu promptus, & consilio sit bonus: ante omnia, vt sit comis, mitis, elegans; hic enim maximam glo riæ partem Principi comparabit. Sed de Imperatore, quæ dicenda fuerãt in eum reponemus locum, quo de Imperatore disputabimus, modò se nobis offe- rat occasio. Cætera præcepta sunt omnibus in prom ptu, vt parentur commeatus, milites armentur, opor tunis locis præsidia constituantur: cæteraq; strenuè fiant, quibus res constat militaris. Duo tamen tace ri nequeunt, vnum, vt Princeps à iusta pace non ab- horreat, alterum vt quos semel deuicerit charos ha beat, foueatq;, quæ ipse fecerit mala. comparant igi tur hastæ Achillis Principem, quæ vulnerabat, & in- uersa sanabat eadem, ac medebatur. Vnde cum mu rum aries percusserit, si deditio fiat est accipiẽda, de

ditisq;

ditisq; parcẽdum:magis enim eſt glorioſum, vel vnã ciuitatem ſeruare quàm aduerſarios innumeros, ingentiaq; regna armis, atq; internecione pacare. Videat etiam Princeps, atq; adeò prouideat, loca, tem pora, commoda, atq; incommoda, turpe eſt enim di cere in medio armorum ardore non putaram, non præuideram, non opus fore credebam. Captis autẽ vrbibus, opus principis eſt eam ætatem omnino ſeruare, quæ cum nocere non poſsit, habita ſemper eſt miſericordia digna. Quæri ſolet qui nam milites po tisſimum legendi, qua in re noſtri temporis conſue tudo vituperatur: Reges enim vt ſumptui parcant tumultuario vtuntur milite. Itaq; integri exercitus Tyronum conficiuntur. Placet igitur milites deſcri ptos habere, exercere crebro, vt cum eundum erit in caſtra, nulla ſit penitus mora. Genus etiam militũ huius ætatis improbari ſolet, quòd ab ipſis agris, atq; adeò ab aratro euocantur ad arma. oportebat quidem milite honoratiore exercitum cõſtitui, qui turpe duceret, aut locum deſerere, aut excedere ex acie, aut hoſtem non ferire, quiq; exiſtimaret dedecus, ac turpitudinem omnia mala ſuperare. obiiciet fortaſſe quiſpiam, Romanos veteres non ſolum milites, ſed & clarisſimos Imperatores ab aratro, & creare, & deligere, & ſuſcipere ſolitos eſſe. Verùm alius honos, & longè quidem alius habebatur ara-

tro.

tro. non enim ſeruile genus hominum, quod hodie maxima ex parte cernimus, ſed ea tempeſtate ciuitatis primores arabant. Itaq; mirum eſt non dedignari nunc terram talibus cultam manibus fructum facere. Sed ex multis ſint hæc pauca libata, aliàs forſitan ſi de re militari ſcribere ſtatuerimus latius, diffuſiusq́; explicanda. Reliqua eſt deponendi belli ratio, in qua illud animaduertitur in primis nè ſimulata ſit concordia, nè fraudis, aut inſidiarum aliquid occultetur nomine pacis; quæ ſi conſtent deponendum eſt vtiq́; bellum, dandaq́; opera, vt promiſſa ſeruentur, ſi enim priuatis eſt turpe non ſtare pactis, quanto grauius erit in Principe? Qamobrem quid deceat, & quid nõ, quid honeſtum, & quid turpe, quid vtile, & quid inutile ante perſpiciendũ eſt, quàm paci Princeps aſſentiatur. vbi verò pacem ſemel ſuſcepit, eam tuebitur, tametſi fuerit in ſuſcipienda peccatum. Sed de bellis cum dici poſſent innumera, hactenus expoſuiſſe ſit ſatis. LÆL. Properas, vt video, vt te quam primum expedias: nos verò longiorem deſiderabamus orationem: quare ſi quid eſt quòd prætermiſeris, quando dicendum tibi toties eſt, exponas rogamus. EVT. Nihil ſanè præter epilogum, quem ſi ita vultis breuiter tranſigere poſſumus. LÆL. Quem Epilogum dicas non intelligo aueo tamẽ audire. EVT. Attende igitur.

Principem ante omnia germanum, verum, atq; tanto nomine dignum exquirimus, qui non sibi solum, sed vniuersæ sit natus Reipub. ex cuius salute suam vniuersi pendere credant; qui fiet optimus, atq; ornatissimus si superiorum regnorum vicia perpendens, ea pro viribus vitauerit, quæ paucis percurrẽtur. Assyrii, id enim primum regnum occurrit, quia ante alluuionem, quæ gesta fuerant, literis perditis sciri non potuerunt: post alluuionem prima tempora in montibus homines transegerunt, aquarum metu, vagi, palantes, inculti, horridi sine rege, legeúe, aut religione: quo fit vt Assyriorum regnum sese nobis ostendat, cæteris prius. Assyriorum ergo Reges vno excepto Nino, qui bello multos superauit, ac Zoroastrum artis Magicæ repertorem in prælio peremit. Hoc vno igitur dempto, molles omnes, effœminatiq; fuerunt: Mitris, vestibusq; fluẽtes, fœminæ potius quam viri, vt in ter eos vir maximè Semiramis fuerit, quæ res clarissimas gessit, rebellantes compescuit multos, præstantissimas condidit vrbes, in quibus celeberrimam Babylonem, ædificiis, mœnibusq; mirabilem. Sed vt hæc adiiciatur Nino, cæteri parum a Sardanapalo abfuerunt, quem fortuna sic odit, vt cum illo omnis interierit Assyriorum potentia, quæ populorum imbecillitate fuerat ad id tempus maxima. Sequuntur Medi, qui

& dignitatem, & maiestatem Assyriorum occupauerunt, paulò bellicosiores diffluentes tamen ipsi, atq; effœminati, vino præsertim sic dediti, ut à Græcia vina sibi mittenda curauerint. expulerunt hos Persæ, qui licet à Xenophonte laudentur, omnium regum habiti sunt superbissimi, quos ipse populus sequabatur. (Principes enim imitantur populi) qui terram, & aquam, quod signum Imperii arbitrabantur ab omnibus sibi gentibus dari æquum censebant, qui quiescebant nunquam, neq; patiebantur quietem reliquos agere. Hæc tamen dominandi vorago periit aliquando, quæ omnes leges ad suam ferè videbatur vtilitatem scripsisse, Aegyptii, Lydiq; sunt proximi, bellicosum vtrunq; Regum: Lydum tamen ingeniosius; Aegyptii nanq;, etsi disciplinis mirifice, ar canis etiam pollebant. multa tamen habebant vitia: erant iniusti, inter se dissidentes, tyrannidis affectãtes, singulari etiam dicuntur fuisse crudelitate. Lydi Medis proximi non satis religiosi habiti sunt. Quoniam etsi aliquandiu religionem visi sunt colere Giges tamen Aliarcte interfecto domino, eiusq; vxore simul cum regno potitus, omnia diuina, atq; humana peruertit propter principatus, quem sibi falsa opinione finxerat cupiditatem. Itaq; auspicatus est regnum ab eorum omnium cædibus, quos sibi obstare vel velle, vel saltem posse suspicabatur. Nec meminerat

minerat eodem se tempore, & seruire desiisse, & cœpisse regnare. Hac stirpe Crœsus ortus traditur, cuius ego quid commemorem insolentiam? Qui Solonem sapientissimum, atq; optimum virum turpiter, ac penè cum ignominia reiecit, quòd Crœsum omnium mortalium beatissimum non prædicauerat, qui non est veritus oracula vniuersa tentare Persis indicturus bellum, veritatemq́; numinum experiri. Itaq; in pyra positus iamiamq́; cremandus, & Solonis est recordatus, & didicit Religionem esse colendam, docuitq; Cyrum fortunam, atq; humanos pertimescere casus. Non licet igitur insolescere principem, non fortunæ fidere nimium: Religionem autem (quod pluribus verbis supra docuimus) non solum agẽdo colere sed tota mente venerari, & de Lydis quidem hactenus. Superauerunt omnium ambitionem Macedones, qui post Alexandri mortem, plus ciuilis quàm externi sanguinis fudisse traduntur, insidiis, dolis, fraudibus, omni proditionum genere certantes. Nam Alexander ipse primis temporibus regni clarissimi principis, atq; optimi dedit specimen, cuius virtutes classicis authoribus celebrantur; inter quas illam, quam ego Principe maximè dignam puto, silentio transire non patiar. inaudiendis quæ ad se deferebantur causis alteram semper aurem comprimebat, vt videlicet intelligeret

is, qui dicebat, deferebatúe quempiam, aduerſario relinqui locum, nè quis oprimeretur iniuria. Idem tamē poſt ingentes victorias, partasq; Perſicas opes, & ſuperbia vicit ſuperiores, quippe qui voluit etiā adorari, Iouisq; vocari filius, & omnium ingratisſimus eſt exiſtimatus, amicorum interempto primario Parmenione, eiuſq; Philotta filio, quorum opera ſæpius vicerat. nam Cliti mortem Diis, hominibusq; inuiſam fuiſſe patet, quem in ipſis propemodum tranſuerbarauit epulis, ebrium certè nemo negabit. Parthici, Bactrianiq; Reges, Barbari ſæuiq; fuerunt. & domeſtico polluti ſanguine; omnium Aetiopes, & iuſtisſimi, & fortisſimi, nimis tamen ſuperſtitioſi. Romæ regnatum eſt etiam, & Lacedæmone, Lacedæmoniorum autem reges Ephoris obediebāt, a quibus etiam mulctari ſe patiebantur, nihil inconſultis ſenioribus (Sic enim ſenatum appellabunt) agēdum ſibi cenſebant. quare quamdiu Lycurgi legibus obtemperatum eſt, regnorum omnium æquisſimum contenderim Spartanum fuiſſe; ſed ad Romanum redeo, quod eſt incoatum parricidio. Etenim pace dixerim, vel Quirini, vel Romuli, non vtiq; decuit occidi fratrem, rerum vt potiretur ſolus. Conſequuta eſt Numæ benignitas quo tempopore verè Romæ creditur eſſe regnatum. nam Tullus, qui Numæ ſucceſsit, & auita gloria, & proprio

ingenio

ingenio tuumidior ẽ exiſtimatus, ac ſæuuior, ad bel laq; procliuior; cuius crudelitatis exemplum Metii Suffetii pœna fuit luculentum. Ambitioſiſsimus Tarquinius Priſcus. induxit enim ambiendo, petendoq; regno libertatem nimiam in forum, atq; auxit populare licentiam. Seruius, huius ſucceſſor muliebri fraude regnum occupauit, virtute tamen eſt conſequutus, ut regno videretur dignus, vt æquaſſe putaretur ſuperiores, dixerimq; fidenter ſecundum Numam Pompilium Seruium Tullum, & plurimum patriæ profuiſſe, & optimum oſtendiſſe principatũ. inſtituit cenſum, diſtinxit ordines, centurias primus ordinauit, & pace, & bello ornamenta præſtantiſsima. Hic Romæ regnandi finis. Superbum enim numquam ego regem appellauero. In Aphrica regnatum eſt ante Maſsiniſſam barbarè nimis. excoluit gentem moribus Maſsiniſſa parum, non tamẽ potuit barbariem penitus expellere. Poſſum tamen confirmare in Aphrica regna omnia inculta, horridaq; fuiſſe Tyrannidis ſimiliora, quam regni. Armeniorum in Aſia à Medis, Parthisq; non degenerauit principatus. Attali Reges modeſtiſsimam regnandi formam inſtituerunt. nam & ipſe Attalus animo fuit regio, & eius filius Eumenes ita ſe geſſit ut eius Imperii ciuitates libertatem omnino non deſiderarent, nec liberis vlla ex parte concederent. Regna

noſtri

nostri temporis explicanda forent suis certè vitiis minimè carentia. Abstinebo tamen non enim libenter nostra contrecto vulnera, nec quempiam offendere placet. Hæc sunt itaq; potissima regna, in quæ decet Principem intueri, vt vitia fugiat, imitetur virtutes. Hoc erit facilè factu, si multæ lectionis fuerit Princeps, præsertim in historiis exercitatus; vnde quid summendum, quid fugiendum sit facilè poterit intelligere. Sed iam me vires deficiunt, iã deest oratio: quam ob causam, vt possim maioribus suppetere, mihi eam dabitis facultatẽ ut aliquãdo perorem: omnis enim hæc disputatio voluendis veteribus monumentis vobis non erit incognita. LÆL. Nos quidem, & tibi gratiam habemus, & satis disputatum putamus. Quæ cum respondisset, illi quidem discesserũt. Ego solus, liberq; relictus, ad mea vetera redii cogitata.

FINIS.

Pagina	versu	errata	correcta
4	6	laudis	laudibus
13	4	erectos	ereptos
14	9	ſcientiam	ſententiam
16	10	oriuntut	oriuntur
23	10	regiũ,imperium	regium imperium
24	3	præſeritm	præſertim
24	19	exiſtimentur	exiſtimetur
26	12	munæribus	muneribus
31	1	principem,iterũ	principem iterum.
31	1	ſæcula	ſecula
37	9	ſæculis	ſeculis
37	13	molles	moles
48	27	clipeo	clypeo
61	16	ſit,ferendarum	ſit ferendarum

BONONIÆ.

Per Ioannem Rubeum Typographum Venetum, Bononienſiq; ciuitate donatum.

Permittente Reuerendo P. Inquiſitore.

DE CONSCRIBENDA HISTORIA DIALOGVS.

VENTVRA COECO AVTHORE.

Bononienſium auſpiciis publicè humaniores literas profitente.

AD REVERENDISSIMVM IO. BAPTISTAM CAMPEGIVM BALEARIVM ANTISTITEM.



BONONIÆ,

Excudente IOANNE *Rubeo, cui Mercurius, & Typos, & clemens auguria præbet.* MDLXIII.



REVERENDISSIMO IO. BAPTISTAE CAMPEGIO BALEARIVM ANTISTITI AMPLISS.

VENTVRA COECVS S. P. D.

EGO QVIDEM (*Præsul optime, atq; dignißime*) *quæ Stoici admirabilia defendunt, quæq; ob id ipsum* παράδοξα *uocant, uerißima, maximeq; Socratica puto; solamq; uirtutẽ in bonis existimandam censeo. cætera siue* ἀδιάφορα, *siue* τὰ μέσα, *siue* προηγμένα *dicantur, non illa quidem repudianda duco, sed nè in bonis quidem habenda; sicut neq; reiecta, quæ* ἀποπροηγμένα *arbitror nuncupari in malis dixerim numeranda. Quare effectum est ut omne uitæ tempus quoad passa est cæcitas, sorsq; nobis largita est nouerca uirtuti quærẽdæ, uestigandæ, atq; ex his latebris eruendæ, in quibus occultari coegerant hominum tetra facinora, potißimum tribuerimus. Qua in re quantum sit profectum, nostrum non est persequi, ut proficeremus laboraße id certè & profitemur, & prædicamus. Quæ nè ab re suscepta uideatur oratio, nostra iam nobis (clarißime Præsul) est aperiẽda sentẽtia Tria sunt igitur me iudice, quæ uirtute maximè cõparantur Voluptas, Vtilitas, Gratia. & uolu-*

ptatem quidem illam appello, qua delectantur animi, enatisq; plu mis sese efferunt ad Deum. Vtilitatem intelligo, quæ nunquam desit, neq; deficiat, æuumq; nobis comparet immortale. Gratia quidem, quæ nobis tertio loco posita fuerat, hominem conciliat homini, tueturq; societatem humanam. Itaq; plerisq; splendidior cæteris, superioribusq; uidetur illustrior quòd uinciat homines, eosq; maximæ necessitudinis nexu coniungat. Harum autem uirtutis effectionum, quæ sit illustrior, quæue copiosior, & amplior hoc tempore non libet examinare, efficeret enim uolumen epistola. Illud certè dixerim audacissimè, hominem mihi non uideri, qui grato non se præstiterit animo. Beneficium nolenti tibi non conferre licet, acceptum non gratia prosequi certè non licet, si modò uir bonus & esse, & haberi uelis. Non negauerim certis ponderibus officia examinanda; constat id enim inter omnes. Affirmauerim tamen omninò referri gratiam oportere si liceat, sin minus haberi. Sed sum nimius in re perspicua, sententiam igitur in pauca conferam. Ego tibi (Pater amplißime) tantum debeo, quantum cumulare potius animo possum, quàm eloqui. Tantum inquam, debere tibi me sentio, quantum homini poßit homo. exponerem omnibus, & sanè libenter quæ, quot, quanta tua sint in me promerita, nisi certò scirem te uulgari nolle, malleq; in bonorum pectoribus delitescere, quàm in uulgus tua munera promulgari. differentur igitur non tamen penitus oculentur; reuelabit enim ipsa se uirtus, nudamq; se mortalibus ostendet, quò mirabiles amores, incredibilesq; concitet. illud certè reticere non possum, quod tua potißimum motus authoritate Bononiæ substiti,

urbemq́ omnium cognoui clariſsimam, nobiliſsimam Academiam. Hæc nimirum eſt illa Bononia ubertatis nomine clara, florens ingeniis, armis potens, nobilitate frequens, quam Auguſti deligunt Imperatores, gemino ut ornentur diademate. Pontifices, ut negocia maxima conficiant, Patres ut de ſumma Rep. nominisq́ Chriſtiani ſalute conſultent. Mineruæ ſacrarium, bonarum artium parens, altrix, alumna Bononia, quò non Italæ modò gentes, ſed exteræ confluunt nationes, tanquam ad ſcientiarum mercatum, amœniſsimumq́ diuerſorium. Hanc ego tua potiſsimum authoritate motus hac tempeſtate ciuitatem frequento, incolo, inhabito, præſtantiſsimis præceptoribus, doctoribus, profeſſoribus connumeratus. Hoc autem ego munus laudatiſsimæ authoritatis tuis in me collatis plurimis, maximisq́ beneficiis antepono. Cum autem ut Themiſtocli Milciadis trophæum ſomnos adimebat, ſic mihi referendæ gratiæ cura, ingensq́ ſolicitudo noctes, diesq́ demeret requietem, uideremq́ tandem parem me non eſſe, non inquam eſſe ſoluendo; quod meum erat ſemper gratiam habui, ſemperq́ ſum habiturus. Nam & relata habetur gratia, & habendo refertur. Putaui me tamen operæprecium eſſe facturum (Antiſtes optime) ſi quid mihi humanitus accidiſſet (ſolent autem multa) præter expectationem, præterq́ Fatum. ſi teſtatum apud te meum facerem animum, ſi ſignum aliquod ſtatuerē, atq; indicium meæ in te ſingularis obſeruantiæ. Quare cum rudi Mineruа quædam de conſcribenda collegiſſem hiſtoria, pauperis agelli reliquias quaſdam te potiſsimum habui cui dicarem. Accipies

igitur

igitur hilari fronte, benigno, pacatoq; uultu quicquid hoc est, quod offerimus equiq;, ac boni consulens, non quid, quantumúe, sed qua mente tribuatur agnosces, quod ita futurum tua mihi singularis benignitas, incredibilisq; pollicetur humanitas. quare pluribus non agam perspectum enim, atq; exploratum habeo nõ longiorem orationem te cupere, fucatis quæ maximè uerbis confici consueuit. Sed probè purgatam, expiatamq; mentem, quæ dicat idem, et sentiat, quæ nullam admittat labem, quæ nulla penitus inficiatur nebula; quam tametsi exterioribus oculis cernere nequeas, his certè uidebis luminibus, quibus prospiciuntur superi, cognoscunturq; cœlestia. conspirant enim inter se animi bene educti, atq; informati, & alter alterius sensa, cogitataq; rimatur, sed sit iam aliquando finis. Bene uale uir tutum columen, decus morum, Præsulum specimen, Cœcumq; tuũ totis præcordiis amplectere.

Vale. Bononiæ.

1563.

IN DIALOGVM DE CONSCRIBENDA HISTORIA PROOEMIVM.

OPTIMVM certè fuerat, Deoq; (vt existimo) gratissimum omnes homines sua sorte contentos, nihil maius suis viribus experiri, hocq; potissimum esset se ipsos nosse, quod Delphicũ præcipit Oraculum; longè tamen aliter cernimus euenire. Quotus enim quisq; non quærit suis viribus altiora? non cœlum vertice tangere cupit? non secreta Naturæ, arcanaq; superum perscrutari? Dicet aliquis, sciendi, atq; intelligendi cupidinem insitam hominibus esse natura, quod ego sanè non inficior, sed omnibus in rebus desidero modum. Quis enim hominem docuit extis inspiciundis, auium volatu, vel certè garritu futura prædicere? & Calcas apud Homerum, quemadmodum narrat Agamemnon ex passerum numero, quos vnà cum matre serpens vorauerat, annos Troiani belli dicitur coniecisse. Mitto fulgurum, fulminumq; procurationem, syderum quoq; numerum, ac magnitudinem nos scire putamus, quasi verò Iouis elati quadrigis cœlestia viderimus, cæteris videlicet mortalibus indicaturi. Omnibus sanè rebus præstat adhibere modum, quem

quem niſi adhibueris perpetuò nauiges, nec portus detur capiundi facultas. Quæ cum diù, multumq́; mecum ipſe cogitaſſem, crebroq́; hortarentur amici (& ii quidem, quibus negare nihil poteram) vt aliquid ſcriberem, ederemq́; quod vſui poſteritati foret, nō mihi Icari exemplo volandum putaui, nè forte pennis liquefactis caſu interirem grauiſſimo. Sed propè terram vadendum cenſui, vnde ſi modò ruerem minore cum periculo caderem. Vtq́; cæteros ad conſcribendam adhortarer hiſtoriam, quæ clariſſimis authoribus in hoc genere placuiſſe cognoueram, in vnum quaſi corpus non ſine maximo labore redegi. Quod meum opus ſi probari videro, nemini quidē inuidebo, ſcribamq́; alia, quæ pro meis copiis hominum generi credidero profutura. Scio duo mihi eſſe propoſita aduerſariorum genera; quidam enim meam accuſabunt imbecillitatem, quòd maiora, præſtantioraq́; tractare non ſim auſus. Dicent enim referre plurimum maximis nè cadas auſis inſtar Phaethōtis, qui paterni currus corruit auriga, immo ſatius eſſe dicent audentem magna collabi, quàm in paruis conſiſtere, ſibiq́; conſtare. Quibus ego cum magnos decere magna cōceſſero, mei tamen humilitatem, tenuitatemq́; perſpiciens ingenii, ſententiam tuebor ſuperiorem. Erunt & alii, quibus ipſe præceptiones minus probentur. trahitur

enim

enim opinionibus maxima pars hominum, idq; vulgo laudat potissimum, quod maximè quisq; probat. Quibus vt diligentius intueantur, consideratiusq; animaduertant censeo prædicendum, nè proprio ducantur amore. nam mihi quidem gratissimum fuerit doceri. Edant igitur quæ meliora, quæq; se putant habere pulcriora, bonorum enim virorum munere fungentur, humanamq; iuuabunt societatem, quam omnibus oportet esse sanctam. Nam quod ad me spectat, cum quod habui in medium contuli nihil amplius debere cõfido. Sed de his quidem satis multa; de re pauca adiciantur. Cum proximis genialibus & quotidianæ cessarent enarrationes, & occupatis cæteris fouendo, curandoq; genio otium superesset, conuenerunt amici plusculi, quos non laruæ delectabant, sed animi reficiendi immensa quædam sitis, cupiditasq; tenebat. qui cũ me salutassent, atq; cõsedissent, fuissetq; aliquãdiu silentiũ, Hercules quidã Sbrozius, adolescens sanè peritus, peripateticæq; adictus Philosophiæ in hæc verba prorupit. Ignorare te certũ est qua huc mente venerimus, vrbanosq; ludos, et voluptatum irritamenta deseruerimus omnes contemnentes illecebras. Quibus cum ego dictis annuissem, te inquit ille personatum videre volumus. cui ego nunquam me pol sine persona vidisti. Nam & natura mihi personam dedit, & alte-

ram ipſe vita conſtituenda mea ſponte ſuſcepi. Ioca ris ille ait, itaq; clarius tecum agendum puto, audi- re volumus aliquid; etenim animos nutrit oratio, grauis præſertim, atq; moderata. næ vos erratis in quam ſi modo verè vobis perſuadetis aliquid hoc conſeſſu, veſtróq; cœtu dignum eſſe dicturum. tum ferè vna voce vniuerſi fabulas meditaris, nugas agis, aquam aras; dicendum tibi aliquid eſt, niſi vim pa- ti mauis. Aſpice quot ſumus, & tibi ipſi conſule; qui bus ego non putaram ſubieci in ciuitate legibus cō- ſtituta, cui mens, atq; animus ſit iuſtitia, vim me paſ- ſurum. Sed quando licet, quando prius veſter ferē- dus eſt impetus quam iure me poſsim defendere, agite, vos ipſi argumentum ſuppeditate, riſum pa- rate, quem me non dubito prouocaturum. Surre- xit ſecundum hunc ſermonem incognitus mihi ne- ſcio quis tellure prognatus, nouam inquiens Tuſci cuiuſdam hiſtoriam proximis diebus legeram, qua valde ſum delectatus. Itaq; ſiquem locum mea eſt habitura ſententia, præcepta poſco, quibus hiſto- riam ſi res ita tulerit artificioſe conſcribere valeam. Audaculum iſtum conſequuta ſunt omnium ſuffra- gia, mihiq; hoc ipſum argumentum ſtatuerunt. ego verò contra iam ſtomachans, iam extuans, iam atra bili tumens, quid petitis inquam? nonne pudet Cœ cum hominem veſtro arbitratu in eos inducere la-

queos,

queos, vnde se nequeat explicare, & quod maximi oratores, atq; laudatissimi vix attigerunt me vultis aperire? sapere nè vos dicam, an desipere? Garris in quiunt vniuersi, obtemperandum est tibi, & quod a te omni studio contendimus nobis deniq; conficiendum. tunc nè frustra resisterem, cunctandum mihi non est uisum diutius, sumq; illis assensus, cœpiq; sermonem; cuius sententias collectas in dialogi formam, atq; (ut sic dixerim) effigiem contuli, suppressis quidē nominibus, tot enim personas dialogus nō capiebat, nec aliquem irasci prætermissum volebam. Sed iam tempus est rei ipsius explanandæ pingui quidem minerua, sed tamen vt intelligatur facilè, me & accessisse coactum, & amicorum inductum præcibus coactiorem edidisse. Hoc igitur sum vsus exordio.

DE CONSCRIBENDA HISTORIA DIALOGVS.

VENTVRA COECO AVTHORE.

COGITIS me pietate quadam, qua virtutem colere vos, ac venerari cerno, id oneris vt ſubeam, cui certò ſciam eſſe mihi ſuccumbendum; quod cum euenerit, ſi modò rectè ſenſeritis, vos metipſos accuſabitis, qui compuleritis renuentem, ac tergiuerſantem: meam certè (ſiqua modo fides eſt, aut religio) laudabitis facilitatem. Ac mihi quidem iam rem ipſam explicare cogitanti caligo quædam offunditur, ſunt enim in mente pleraq; notione quadam cognita, ſatiſq; perſpecta, quæ tamen explicare nequeas; qua in re maximi quoq; viri laboraſſe videntur. Conceperat Marcus Tullius perfectam illam, atq; ſinceram animo oratoris effigiem, quam non valebat explanare. Sed quid Ciceronem appello, cũ lumẽ philoſophiæ Plato expoſiturus quæ de Iuſtitia ſenſerat, eã ſtatuerit Remp. quæ nec ſit, nec eſſe poſſit? qui nè in priuato quidẽ homine locũ inuenerit Iuſtitiæ declarãdæ. Quæ res effecit vt illis libenter accedam, qui ſuperiorem animi partẽ cœ-

leſtium

lestium animorum similem esse dicunt, quibus ea corpora informantur, quæ quintum illud corpus, siue naturam exornant, quod in orbem semper voluitur, expersq; mortis credidere Philosophi. Cum enim orationem nobis natura dederit, vt quæ mente teneremus palam fierent, omnem naturæ vim illud certè superat, ac vincit, quod indicari, atq; aperiri non licet. Dubitare vos arbitror, quidnam mihi velim, vereriq; (quemadmodum dici solet) nè ab ouo fabula repetatur. Ego verò tantum abest, ut lõgo sermone delecter, ut laudem dicendo quæram, quod iam me ipsum fastidio, qui rei tam difficilis nodos sim ausus dissoluere. Quid est igitur? Historicũ animus videt, parturire cupit, sed parere nequit. verendum est itaq; nè partus difficultate fiat abortus; tamen ad rem ipsam veniẽdum est, sortiq; quicquid contingerit acceptum est referendum. Hanc igitur disputationem in quinque membra secemus Historiæ primum vetustatem enarrantes, mox vtilitatem difficultati iunctam. Tertio loco sit nè oratoris historiã scribere diligentius quæremus. Quarto quot nam historiarum reperiantur genera. Postremus præceptiones habebit. sed quod primum proposuimus iam aggrediamur. Quæsiui mecum sæpenumero id, quod ab aliis multo ante quæsitum esse perspexeram, qua potissimum ratione vetustas ho

mines tantopere delectet, suorum temporum gesta negligant, atq; contemnant. Itaq; si nunc Homero diuinior poeta surgat ridebitur opinor, nec quicquam gloriæ adhimetur Homero vetustatis authoritate parta, & tamen id, quod necesse est, tempore perfecta sunt omnia, quo fit vt vetustiora sint rudiora. Sunt qui dicant in omnibus mediocritatem esse tuẽdam, quare nec veterrimis delectamur (inquiũt) nec amamus hæc proxima. Alii verò Faunos, atq; aborigines cient, & quò sunt vetustiora quæ legunt, eò magis probant, atq; laudant; cuius appetitionis hanc causam esse puto, inuidiam scilicet, atq; liuorem quẽdam. Nemo enim aut mortuis inuidet, aut cum illis existimat contendendum, insequitur inuidia proximos, & quò propinquiores sunt, eò magis vrget. Inuidiam autem parit ambitio, quæ superari dolet, vincere cupit, honores ambit, tristatur immoderatius alienis. Longum tamen esset hoc tempore aut exagitare vitia, aut causas voluntatis humanæ, quæ Protei exemplo vultus frequentissimè mutat; ad viuum (ut aiunt) cutemúe resecare. Itaq; ad senectam historiæ nos vertamus enarrandam. Eosdem semper homines fuisse crediderim, eademq; affectasse, quæ res effecit, ut mihi persuadeam æternam historiam, vel antiquissimam certè fuisse; ex quo nempe mortales res gerere cœperunt, eas memoriæ, atq; immortalitati

mandari voluerunt; vt quoniam intelligebant sibi penitus intereundum esse, monumentis rerum gestarum viuerent hominum memoriæ quasi ditissimo templo dicati. Qui æternum igitur literarum vsum esse volunt, æternam quoq; historiam profitētur esse. Qui verò principium literis tribuunt, iidē quoq; initium aliquod extitisse volunt. vnde Aethiopes historiam apud se innumerabilium quorundam annorum esse contendunt, literasq́; Deorum accepisse munus, quòd eos ad se confugientes sint tutati, cōuiuioq́; acceperint apparatissimo, & omnium primi sacra fecerint. Sed non decet de historia verba facturos fabulosa poetarum commenta sequi. Aegyptii apud se, suosq́; Sacerdotes ab Osiride, Amone, Mercurio Theuthe, quem Cicero Theyn vocatum asserit: vt Platoni placet, ut aliis Menone literas primum traditas, sacratamq́; gloriantur historiam. Itaq; ab orbe condito quicquid actum sit se & scire, scriptumq́; seruare, ac retinere profitētur; quos Scythæ, quos redarguunt Assyrii, sed ante omnes qui Chaldæi nominantur in hanc septingentorum miliū annorum, vel vt aliis quadringentorum supra ottaginta, non solum res gestas, sed etiam gerendas suis claudi sacrariis affirmant; quæ quidem arbitror cōmentitia. Censet Plato grauissimus author ante alluuionem, qua totus orbis inundauit, & res magnas ge-

stas

ſtas fuiſſe, & literis etiam mandatas, quæ inundatio-
ne perierint. Poſt alluuionem verò diù nihil geſtum,
ſcriptumúe fuiſſe attonitis adhuc hominibus metu,
nouamq́; quotidie perniciem expectantibus, donec
paulatim audere cœperint, indeq́; nobis hiſtoriam
cœpiſſe; a Soſeſtri .ſ. neſcio quo, ac Thaleſtria Regi-
na, quos Ninus Aſſyrius ſit conſequutus. In Italiam
certè ſerius peruenit hiſtoria, cum condita iam Ro-
ma in aliquot Italiæ templis annorum numerus non
literis, ſed clauis dignoſceretur, vt apud Vulſiniū
in Nurſiæ opinor æde. Peperit autem hiſtoriam re-
rum varietas, quam antiquitate fieri neceſſe fuit ua-
riiq́; opinionum errores, & varia inter homines vel
certamina, vel contentiones. Certatum eſt enim in-
ter Aegyptios, & Scythas de generis vetuſtate profi-
tētibus vtriſq; antiquiſſimos ſe mortaliū eſſe, quos
rident Aethiopes, ſeq́; omnium hominum vetuſtiſ-
ſimos eſſe produnt. Ariſtoteles philoſophus huius
certaminis palmā Aegyptiis tribuere videtur quos
primos hominum credi, ſcriptum reliquit. Iam illud
quam ridiculum, quod iidem Aegyptii exiſtimaſſe
feruntur, homines, animanteſq́; reliquos ortos eſſe
terra: ſumpto ſcilicet argumento ab ſpelunca, quæ
ſit in Thebaica regione, vnde murium immēſa mul
titudo ſcaturire cernitur, campoſq́; complere. Quæ
amentia pleraſq́; Græciæ ciuitates etiam occupauit,
in queis

in queis grauiſſimam Athenienſium vrbem. Etenim memoriæ mandatum, ac proditum eſſe conſtat ipſam Atticam Athenienſes genuiſſe, quod & Philoſophi celeberimi prædicare non dubitarunt. Sed de his ſatis. Tanta autem caligine merſa eſt hiſtoria, ut nec quid, nec cui credas ſcire penitus poſſis. Nec mirandum eſt in tanta vetuſtate: nam Tito Liuio rerũ Romanarum ſcriptori vetuſtiſſima vidẽtur ea, quæ ſeptingenteſimo ante anno ſint geſta, compertuq; difficillima. Quid in tanta ſeculorum ſerie credendum eſt accidiſſe? itaq; omnem fermè hiſtoriam mutuamur a Græcis, qui nec ipſi certi aliquid habent, & vbi commodum eſt libenter fingunt, nec mentiri dubitant. Quo fit vt qui primi condiderint vrbes, palantes, vagoſq; congregauerint homines, nec mœnibus magis, quam iure, ac legibus ſepſerint, tam incertum ſit, ut ſententiis inter authores certetur, & ſibi credi ſinguli velint, cur autem ſibi fides habenda ſit non afferant; & ſanè Philoſophis etiam hæc res anſam præbuit diſputandi. Nam ſi primorum hominũ, qui ante alluuionem fuerũt extaret hiſtoria, æternũ nè, an conditum cœlum eſſet quærentes minimè digladiarentur. Etenim ſuæ originis rationem primi illi mortales reddere poſteris ualuiſſent. Quo argumento Plato exiſtimat conditum orbem eſſe, quod ita Deorum prædicent filii, quos a parentibus didi-

ciſſe par ſit arbitrari, & quæ ab illis acceperint abſq; fuco, fallaciis, mendacio poſteritati tradidiſſe. Conſtat itaq; & vetuſtiſſimam hiſtoriam eſſe, & temporum, rerumq; varietatibus interceptam, vel potius extinctam, ſic fato, vel certè neceſſitate ferente. Vnde aſſerit Ariſtoteles longiſſimis temporum ſpatiis terras aliquas maria ſuperare, alias contra areſcere, reddiq; cultui mortalium aptas vbi prius mare fuerit. Ad hæc regiones aliquot ſteriles paulatim fieri. Itaq; neceſſitate coactos homines inde diſcedere, nunc hos, nunc illos donec penitus deſerantur, eaſdem rerum, ac temporum conuerſione denuo coli, annisq; fluentibus, hominumq; ſucceſſione fieri, ut primorum cultorum intercidat omnino memoria, quod maximè hiſtoriæ videtur obeſſe; de cuius vetuſtate, quod propoſitum nobis fuerat ſatis dixiſſe videmur. quamobrem niſi audiendo defeſſi eſtis, ad reliqua tranſibimus. Omnes cum ſe libenter audituros conclamaſſent, exigerentq; penſum quaſi nouo ſumpto principio ita cœptum eſt.

Hiſtoriæ utilitas.

VTILITATEM difficultati non immerito iunximus, ſuperos enim nè veterno torperemus, atq; adeo marceſceremus, vtilitates omnes ad nos difficile, magnoq; tùm corporis, tùm animi labore venire voluerunt. Itaq; nihil mortalibus ſine ſudore paratur,

ratur, quod Flaccus indicans poeta, poetico cecinit mote.

Multa tulit, facitq; puer, sudauit, & alsit
Abstinuit Venere, & Baccho qui pythia cantat &c.

Sed in re nemini non cognita, satisq; perspecta morari non libet, dicam igitur id, quod maximè res ipsa desiderat; nihil me vtile putare, quod non sit idẽ honestum. Historiam verò rem honestissimam duco, in qua siqua turpia dicta, factaúe scribantur, ea tamen prosunt. Nam cum omnis turpitudo dedecus pariat, intelliget vtiq; historiam qui legerit quid inter bonum, & malum: honestum, turpe: honoratũ, inhonoratum intersit. quod certè Lacedæmoniorũ authoritas, qui grauissimis, optimisq; vixisse feruntur legibus, testari vobis apertissimè poterit; illotas enim quos habebant numero seruorum inducentes in conuiuia ebrios iuuenibus ostendebant, vt visis ebriorũ gestis, fœditateq; discerent odisse, atq; abominari ebrietatem. Nihil igitur, nihil est in historia, quod non cum emolumento legatur. Non tamen omnibus hæc sententia probabitur: nam deprauati inquient animi, atq; corrupti imitabuntur turpia, deterioresq; fient. quibus ego facilè me responsurum opinor, illud primum obiiciens, quod de legibus censorius ille Cato dicere consueuerat, omnibus illas quidem prodesse nequire, id quidem prouiden-

dum maiorē, vt partē iuuarent. Illud præterea respō debo, quod de vniuersa dici solet æloquentia. Contendentibus. n. quibusdā pessimā, ac perniciosissimā æloquentiā credēdam esse, quòd rebus publicis nō pauciora mala, quam bona intulerint æloquētes: sic obuiā itur. Vtilis quidem, atq; honesta est æloquētia, tu malus qui abuteris. & sanè si hæc ratio seruanda foret, numen quoq; reprehenderetur quòd hominem fecerit, cum sint mali pleriq;. Ledunt diuitiæ multos, nonnullos propinquorum, amicorumq; turba, ac tandem si respicere velimus omnia, quæ Diuorum maxima putantur munera noxia reperientur abutentibus. Sed vt ad historiam redeam, qua de nobis institutus est sermo. Doctissimi, clarissimiq; viri sic iudicarunt, historia eam maximè, quæ ad mores pertinet Philosophiæ partem, illustratam fuisse; quæ cum aut proprium vniuscuiusq; animum curet, aut domestica tractet, aut medeatur ciuitati, omnia hæc nobis vberrimè, atq; copiosissimè historia suppeditat. Iam primum omnium, si Nestorem illum Homericum consideraueris nonnè tanquam in speculo prudentiæ videbis exemplar, quòd sequaris, quod capias, quod imiteris? Cum autem legeris Regem illum regum decem sibi Nestores, non decem Achilles, Aiacesúe Telamonios optasse; nonnè cernis quātum corporis viribus prudentia præstet? per

niciosam Achillis iram Græcis fuisse cũ percipis, vitandam certè non secus, ac mortem iram existimas. Sed apoetis recedamus, quibus historica fides non habetur. Cõfer tecum obsecro Themistoclem, atq; Periclem, vel Aristidem eidem Themistocli compara; Niciæ ei, qui victus in Sicilia occubuit Alcibiadem compone. Iam horum profectò exemplo vitã, moresq; tuos ornabis, legẽq; tibi ipsi dices, qua quid fugiendum, quid sequendum sit scire facilè possis. Hos ipsos, quos memoraui in aciem, in forum ad Rẽp. deducito, tuæ certè quid patriæ prosit, quidúe obsit optimè noris, atq; pulcherrimè. quòd si vel Phocionis paupertatem, vel Fabritii rei familiaris angustias historia duce subodoratus fueris, quis dubitat, quin domui sis commodissimè consulturus, certior videlicet factus paucis contentam esse naturam. Mores igitur formantur historia, eiusq; philosophiæ quæ dantur præceptiones historicis maximè probantur exemplis. Qui verò rerum causas perscrutantur, plurimum historiæ se debere nõ negant, cuius auspicio multa se cognoscere profitentur. Nam vt ommittam Platonem, quem palàm est omnem historiam cognouisse, multa quoq; Aristoteles historia repetita confirmat, quod quidem licet plurimis possim, paucissimis exemplis ostendam. In crepat diuinissimus ille Philosophus veteres, qui Cometa,

quæ

quæ vocantur ſydera hyeme non cerni credebant ſumpto ex hiſtoria argumento. nam in Achaia paulò ante quam aliquot vrbes terremotu corruerint, mareq́; maximè inundarit, hyeme ingentem Cometem ſcribit eſſe viſam. Idem cũ de fontibus fluuiiſq; loquatur Caucaſi montis altitudinem, quam tradit eſſe miram hiſtoria nos docet; Ait enim occidentẽ ſolem ad tertiã noctis partẽ Caucaſi verticẽ illuſtrare. Tertiã ad ortũ, ut ex duodecim nocturnis horis ſol in eo vertice quatuor duntaxat nõ ſpectetur, quẽ etiam variis gentibus aſſerit habitari. Longum eſſet, quæ ab hiſtoria Philoſophi petunt recẽſere, cum eorum aliqui, & ii quidem grauiſſimi hiſtoriam ſcribere non dubitarint; vt Teophraſtus, Teopompus, Socraticuſq; Xenophon, atq; Ariſtoteles ipſe, quem ſunt quidam authores centum ciuitatum hiſtoriam in vnum redegiſſe corpus, quod opus non ſine magna noſtri temporis iactura cum aliis, & eiuſdem Philoſophi, & aliorum ſcriptorum plurimis deſideratur. Quare dubitare non poſſumus admodum vtilem hiſtoriam eſſe. Atq; ego (vt de meo ſenſu loquar, & id, quod ſentio apud amiciſſimos homines liberius depromam) mirificam quandam ſuauitatẽ legenda experior hiſtoria; & quemadmodum Socrates philoſophiam non vulgarem muſicam exiſtimabat; ſic ego ſuauiſſimam armoniam hiſtoriam arbitror.

tror. Illud præterea videre mihi videor pulcherrimũ quoddam corpus historiam effingere omnibus suis partibus, omnibus numeris absolutum; quod tunc apparebit clarius cum præcipiemus quem ordinem in historia seruandum putemus: & quoniam vtilitatem exposuimus, difficultatem si placet aperiamus.

Historiæ difficultas.

Est sanè cum in omni re conscribenda maxima difficultas, tum in historia maior. Itaq; persæpe mirari soleo quorundã hominum arrogantiã, qui quasi leue onus suscipiant, libros edere non dubitant; & qui magni viri, doctrinaq; præstantes vulgo existimãtur horum sunt temeritate similes. Ego vero legem illam magnopere laudo, quam in quibusdam regnis hac etiam tempestate diligentius seruari accipio, nequid typis excudatur, quod prius non examinent viri doctissimi, perpensumq;, atq; examinatum probent. habebit enim præiudicium is, qui scribit clarorum virorum, peritorumq; sententiam, ac probationem, leuiusq; fortasse cadet. Hæc tamen vel Principes viderint, penes quos summum ius, summa est authoritas, vel illi, qui tantum licere sibi volunt, vt bibliothecas venaliũ impleant librorum, quorum sanè bona pars non legitur. Excusandi tamen videantur, comparatum est enim natura omnes, vt homines appetant gloriam. Erramus autem plerumq; per

auiá

auia gradientes, neq; rectum iter perſpicientes. Etenim quod experior ipſe & teſtari, & liberius fateri volo; tenet me eximia quædam cupiditas laudis, ſed tamen edendis voluminibus conſulto hactenus temperaui, timens videlicet nè appetitio nominis, inaniſq; famæ dedecus aliquod pareret. Vrgent tamen amici, quibus ſi inuitus obtemperauero, quicquid ſecus acciderit amicitiæ tegetur ornamentis, nimiæq; in amicos facilitatis laudibus ocultabitur. Quamquam non ſatis mihi videtur excuſari, qui culpam errati transfert in alterum. Summa tamen humanitas, & pudor negandi quod petitur facilè me tuebitur quemadmodum ſpero, ſiquid emiſerò, quod opus fuerit in annum præmi decumum. Sed in hanc ſententiam ſatis. Dico igitur, vt ad id redeam, quod ſuſceperam, ſummi cuiuſdam eſſe viri animi ſenſa ita mandare literis, ut multorum iudicium ſubeant, vt placeant, atq; delectent. Nam vt illos ommittam, qui famam reprehendendis aliis aucupantur; ſunt etiam quidam, qui aliorum errata facilè vident, ipſi tamen nihil edere poſſunt; & ſi quidem poſſunt nè parem gratiam relatam accipiant, nolunt. Quæ res efficit, ut magnum periculum adeat, qui ſua ſcripta multis legenda proponit. Sunt quibus tumidior videatur Demoſthenes. Bruto Cicero perfectus non videbatur. Itaq; fuerūt prioribus ſeculis qui Cicero

nem

nē accuſaret, & noſtris quoq; temporibus laceratur. Verū (vt dicere cœperā) ingentis cuiuſdam difficultatis hiſtoriā conſcribere putādum eſt, quod vel ex eo quis facilè coniiciat, quòd cum ſcripſerint multi, pauci tamen referuntur in album: & vt ait Cicero ſero admodum cum apud Græcos, tum etiam apud Romanos aliquod lumen accepit hiſtoria. perfecta tamen, ſuisq; coloribus inſignita, nec M. quidē Tullii credebatur ætate. Itaq; cum ab illo peteretur hiſtoria, atq; adeò flagitaretur, confeſſus eſt maximi laboris opus eſſe, ſeq; nō prius hiſtoriam conſcripturum affirmauit, quàm otium eſſet aſſequutus. Putabat enim totum animum, omnemq; mētis aciem hiſtoriæ tribuendam eſſe, ſiquis tanto muneri par eſſe denique vellet. Quare vix orator, qui in foro ſit verſatus, & cauſis, reperiatur qui operam hiſtoriæ dederit. Opus eſt enim acerrimo ingenio, maximoq; iudicio, atq; acutiſſimo, rei militaris peritia, vt ſiquid vel accuſandum fuerit, vel fortè laudandum ſcienter facere poſſit; nè ſi quando militiæ peritus legerit, vel fortè Imperator, vel Ductor exercitus, alter iudicetur Phormio delirus ſenex apud Epheſum Hannibali. Iam maris, terrarumq; deſcriptionem, omnemq; τοποθεσίαν, atq; γεωγραφίαν, ſeu κοσμογραφίαν cognoſcendam quis dubitat hiſtorico cum loca ſint frequentiſſimè deſcribenda? demonſtrandæ regio-

nes exponendi situs? quæ sunt omnia difficultatis maximæ. & quoniam peragrare vniuersa nō possumus, plurimis authoribus colligenda. Qua in re illud mihi videtur odiosum, quod & opinionibus certatur, & non est facilè inuenire cui credas. Itaq; Dictatorē Cæsarem, quem cōstat nullum locum historiæ reliquisse, cæterosq́; ab scribendo deterruisse: iactabant amici si vixisset plurima mutaturum, quæ ab aliis accepta retulerat in cōmentarios, & ille quidem scribebat sua, vnde facilis est coniectura, quam sit difficile & aliena, & multis seculis anteacta memoriæ mandare; quæ non ea mente dicuntur, vt deterreantur homines, alienenturq́; ab historia. Sed vt intelligatur nil magnum, atq; præclarum sine labore maximo contingere mortalibus voluisse superos, quod paulò supra nobis est memoratum. Adde ea esse vulgo carissima, quæ difficillimè comparantur. Itaq; cariores diuitias habent qui suo marte, suoq́; compararunt sudore, quam qui partas a maioribus acceperunt. Sed historiæ difficultas ex his patebit liquidius, quæ infra dicentur, ad quæ iam videtur properandum.

Sit nè oratoris historiam scribere.

MARCVS Tullius non oratoris modò, sed summi etiam oratoris historiam conscribere testatur esse, cuius apud me quidem plurimum valet authoritas.

tas.experiamur igitur quidnam ab oratore mutuetur historicus aperire; & memoriam quidem omittamus, quæ licet ab arte proficiscatur maiorem vim, atq; adeò uitam, neruosq; omnes naturæ debet, qua tamen abundare historicum, necesse est, quē multa legisse decet, meminisse plurima, vt si res desiderare videatur gestis gesta, hominibus homines, tempora temporibus nectat, sumptisq; aliunde exemplis suam muniat, ac fulciat historiam. Sed hæc tum maximè tractabuntur, cum præcipere superis cœperimus annuentibus. Pronunciationis certè non eget, non est enim eadem scribentis, recitātisq; persona; nec ita hoc accipi velim quasi actionem auferam ab historico; omnes enim homines quæ sentiūt, quæq; dicenda censent optimè dicere velim. Sed nihil ad id, de quo agitur; non enim actorem quærimus, sed scriptorem, qui cupiat sua propagari monumenta, qui posteris se commendet non lingua, sed stylo. Reliquæ sunt partes artis Rhetoricæ tres, vel certè oratoris officia, Inuētio scilicet, Dispositio, Elocutio, de his nobis habendus est sermo, & quatenus vsui sint historiarum artifici demonstrandum. Videtur autem quibusdam inuentionem nihil conferre ei, quem instituimus. iam enim inquiunt cum scribere cœpit, delegit historiam sibi rerum certè gestarum narrationem, quid huic opus est inuentione? orator

cum ad eum causa defertur inueniat oportet argumenta, quibus id probet, quod defendendum suscepit, confutet quæ ab aduersario dicuntur. Ad hæc quo pacto potissimum exordiatur, narret, moueat auditorem, atq; delectet, horum nihil præstare oportet historicum rei gestæ narratorem simplicem, atq; purum: nullus igitur huic vsus est inuentionis. Sanè qui hæc dicunt nudam historiam, ac destitutam nobis in medium afferunt, non modò non comptam, sed nè lotam quidem. Nos verò, qui eam ornare volumus fortè dicemus historico non eandem, atq; oratori inuentionem esse, nullam tamē esse omnino negabimus. Nam & consiliorum rationes historico sunt reperiendæ, & frequentius vtendum coniectura, quare quid factum, aut non factum sit, quid fieri potuerit, præstiteritúe, vel certè non fieri; præterea quibus legibus vitari aliquid, vel certè accersi potuerit, quæ omnia ad inuentionem constat esse referenda. Equidem ita puto peritum artificem, etiā ex iis, qui manu, sellularioq; quæstu sibi victum parant, aliquid semper inuenire excogitatum, atq; meditatum, & eo quod inuenerit maximè gloriari. Nō ergo exactam illam oratoriam inuentionem hoc loco quæramus, sed tamen inuentionis expertem nostrum scriptorem esse non patiamur. Sequitur Dispositio scriptori maximè necessaria, quam & collo-

cationem appellamus, hæc mirum in modum illustrat historiam. Vt enim si ornatam copiosamq; domum spectatum admittaris, vbi omnẽ suppellectilẽ distinctam, aurum, argentum, ebur, purpuram, suis quidq; locis appositũ cernere possis, consideres accuratius omnia, sciasq; quãti opes ille sint faciundæ. Sic vbi historiam non confusam, nõ permixtam, nec perturbatam legeris, & ex scriptoris labore, & diligẽtia fructum tibi cœpisse videaris. Nam vt corpus mẽbris non satis appositis turpe videtur; sic historia si non sunt singula ordine, modo, locis digesta displicet, atq; negligitur. Sed hæc quemadmodum & superiora ad præceptionum locum tempusq; differantur. Accedit Elocutio res multiplex, & variis implicita quæstionibus. Solet enim dubitari quibus, quatenus distinguenda sit historia his ornamentis, quæ vocãtur Σχήματα. Ad hæc de numeris ῥυθμὸς Græci appellant; quæritur quibus, quando, quousq; usura sit historia. iam sint nè conciones integræ historiæ adiiciendæ, & utrum sint omni decorandæ artificio, quæ profectò videtis quam longa sint oratione tractanda. & vereor vtiq; nè iam pridem nauseã vobis fecerit oratio nostra. quam ob rem si vobis modo videtur, in aliud tempus quæ restant reiiciantur. Tum omnes ut pergerem, & ita me pararem responderũt ne ante desisterem, quam id totum quod

promiseram

promiſeram explicarem. collegi ipſe me, atq; parebo inquam, quando ita obſtinatum animo eſt. & cum parum inter quieuiſſem, ſic denuò cœpi.

FIGVRAS quas vocant, vel exornationes orationis ad eum finem adhibitas arbitror, clariſsimorum virorum authoritate fretus, vt quaſi luminibus quibuſdam diſtinguerent orationem, quemadmodum gemmis ſæpe diſtinguitur aurum: caputq; & collũ ornant mulieres non ſine maximo virorum intertrimento, diſpendioq; domus. Erant in eo conuentu nonnulli coniugio deuincti, in quos cæteri omnes non ſinè riſu oculos intenderunt. ego verò, ac ſi nihil dixiſſem, quod ad quempiam priuatim attineret dicere perrexi. Quid obſecro vetat luminibus iiſdem hiſtoriam, atq; orationem illuſtrari? cum præſertim nè cogitantibus quidem nobis ſeſe offerant vltro figuræ, irrepantq; in orationem. Mihi enim M. Quintiliani ſententia probatur, qui ait nullũ verbũ ſinè figura futurũ, ſi modò ſuperſtitioſè quæratur. Verũ hæc nimis acuta uel indagatio, vel inueſtigatio ſuperſtitione nõ vacãs eſt omnino prætermittẽda. rabularũ.n.eſt, declamãtiumq; pueriliter orationẽ vniuerſam implere figuris. Sicut igitur faciẽdus eſt oratori modus orationis illuminãdæ, ſic etiã hiſtorico. & quẽadmodũ in omnibus rebus quid maximè deceat ſpectari conuenit, ſic in hac etiam, in qua niſi

decorum

decorum ſerues, nimiæ diligentiæ non vitabis vituperationem, quæ non minor eſt quam negligentiæ: & in finitimum incurres virtutis vitium deceptus ſpecie recti. oportet enim vbiq; & noſſe, & tueri mediocritatem. Figuris igitur vtatur hiſtoricus, ſed moderatius, ut illuſtriorem orationem reddere, non artificium oſtẽtare, explicare ſuppellectilem opes ſuas proferre voluiſſe credatur. Venit autem in dubium an eiſdem figuris, eademq; omnino ratione vtendũ hiſtorico ſit, atq; oratori, & ſanè ut in pauca conferam, nõ video quas alias ſibi comparet figuras hiſtoria niſi ſit oratoriis cõtenta. vtitur tamen quibuſdã paulò liberius, & luxuriat nonnunquam, vt prope modum ad poeticam libertatem accedat. nam & frequentioribus metaphoris vtitur, & vnitatis numerum pro multitudinis ponit. ſpargit crebriores ſententias, quarum ipſa rei geſtæ narratio ſuppeditat occaſionem. Iam τῶν ὑπερβατῶν maior eſt copia, cauſam præceptiones oſtendent, exempla (ſi modò inter figuras numeranda ſunt) ſeſe liberius dant obuia. Præterea, & interponuntur narratiunculæ breues, quas quidam adiiciunt figuris. digreditur, & hiſtoricus cum res, locus, cauſaq; poſcit, quod ſuo loco docebimus. Sed quòd ad figuras attinet lõgum eſſet exponere, petãtur a rhetoricis libris: carũ vſum frequens lectio multò certius, quàm cuiuſuis

aperiet

aperiet præceptio. Mihi quidem certum eſt digito monſtrare fontes: veſtrum erit haurire, ſi modò vel hiſtorias legere, vel lectas perpendere volueritis. mihi quidem non tam ipſa lectio vtilis eſſe videtur dicere volenti, quam examen, atq; vt ſic dixerim perpenſio, quam licet imitari. tantum igitur de figuris, nunc ad numeros tranſeamus. ſi primum illud vos monuerimus non exactam, atq; abſolutam a nobis traditionem expectandam, ſed viam, quæ vobis inquirendi rationem aperiat, vt ad cognoſcendum, & iudicandum non hoſpites accedatis omnino, ſed feratis præ uobis aliquod lumen, ſed ad numeros iam ueniamus.

FVERE quidã ſtomacho adeò duro, ſic ad oẽ cibi genus parato, vt neq; in oratione, nec in hiſtoria numeros deſiderarint oẽm cõpoſitionis gratiam ſuſtulerint fluẽtia, uagaq́; appetiuerint cuncta, vel quia nihil rectũ, egregiumúe putabant quo aſpirare, quoq́; peruenire ipſi non poſſent. vel quia (ut paulò ante dicebã) nullis non ſunt epulis contenti; & tamen hanc ignauiã, animorumq́; imbecillitatẽ non modò tegere, ac diſsimulare, ſed etiam ratione firmare nituntur. aiunt enim naturam optimam ducem omnibus in rebus eſſe ſequendam, quæ ſi blandimenta verborum, apparatumq́; orationis probaſſet, a prima, teneraq́; ætatula hominem ſic inſtituiſſet, vt optimè loqueretur,

loqueretur, qua ratione eos non intelligere miror omnes artes, omnem induſtriam tolli. Cur enim pingitur dicat aliquis? Docuiſſet enim ſi probaſſet natura, atq; omnes quidem homines docuiſſet. quæ tamen optima, atq; mitisſima parens mortalium mentes ea diligentia confecit, vt ad plurima percipienda, inuenienda, cognoſcenda, quæ prius latuiſſent aptas, idoneasq; produceret. Verum hos ludere ſinamus. Quanquam & alia fulciuntur ratione, dicunt enim grauiorem ſe lectionem expetere, rerum non verborum gratia. decebat tamen eos conſiderare allici verbis legẽtium animos ad res cognoſcendas, perquirendas, memoriæq; mandandas. ſi enim (vt inquit Fabius) ipſum aurium veſtibulum offenditur, mens negligentius attendit, reſpuit nonnũquam, atq; repudiat, & ſaciata reiicit. Huc accedit quod connexa, colligata, coniuncta viam faciliorem ad intelligendum pandunt, ac patefaciunt. Sunt alii, qui numeros quidem cum hiſtorico, tum etiam oratori largiuntur nullum tamen delectum habent, habendumúe putãt. cadit enim inquiunt ſua ſponte, nec nobis quidẽ ſentiẽtibus oratio numeroſè quaſi ducat ipſa natura; nihil opus eſt artificio, nihil ſtudio; quos refellit clarisſimorum virorum authoritas, ipſaq; conſuetudo, quæ compoſitionem orationis admiratur ſiue legenda, ſiue audienda contin-

gat oratione delectari. quas ob res demus historico numeros, et illos quidem oratorios, atq; haud scio an latior sit in hoc genere historici, quàm oratoris campus. Cohibet enim habenas orator in iudiciali oratione: nè contorquere iudicis animũ, nè peruertere velle credatur; abstinet numeris igitur, vel occultius vtitur. Historicus cõtra excurrit latius, totamq; dicendi rationem ad delectationem confert. veruntamen, & in hoc etiam tenendum est medium, vt affectationis suspitio vitetur, diligentia, curaq; laudetur. Non enim minus accuratè oratio tractãda quàm historia videtur, nostro præsertim tempore, quo delectãtur homines illecebris. itaq; laudantur quidam historici, atq; leguntur, suntq; in honore summo, quos indignissimos tãto nomine iudicasset vetustas. & hi quidem, non quòd numerosè loquantur in honore sunt, sed quod vim quandam naturæ luxuriantis exerceant, & affectata quadam acie loquantur tumentes admodum; quam orationem affluentem, atq; luxuriantem vulgus numerosam existimat. Nos verò, ut segetum luxuriẽ, sic orationis rescindi volumus, vt meliorem frugem in animis pariat, iudicio fretis, & à sermonis natura minimè discedentibus. quanquam scrupulosum hunc locum esse censeo; nam qui nouitios hos mirantur scriptores, rudẽ me dicent, atq; ignauum, mecumq; vel iusto sacramento

mento pugnabunt, vel ex iure manu conſertum in iudicium trahent, quòd in optimos ſcriptores irruerim, & quæ non intelligam, de quibusq; iudicare non poſsim, ſim auſus vituperare. Erunt forſitan mitiores alii, qui mihi concedent veteribus ſcriptoribus palmam eſſe dandam, verum aſſerent vt omnia mutantur tempore, ſic eloquentiam diuerſis ætatib. varias cœpiſſe formas, & eoſdē ſæpe homines aliter, alias & dixiſſe, & ſcripſiſſe. nos igitur inquiunt iſto genere delectamur eloquentiæ, nec perfectius deſideramus. ego verò cum prioribus nō pugnabo quin potius vadimonia deſerã, alteros verò facilè patiar hac eloquentia frui, animorum tamen imbecillitatē reprehendam, quòd meliora non curent, vel aſſequi ſe poſſe nondum experti diffidant. hic neſcio quis ex terræ filiis, qui aderant nunquam nè inquit luxuriãtem orationem affluentēq; laudabis? ego verò inquam in adoleſcente probo, qui adulto iam iudicio an putare multa poterit, & ſuperuacua reſecare, itaq; M. Tullius affluentem ait orationem illam fuiſſe, qua Sex. Roſcium Amerinũ parricidii defendit, quem poſtea cōſtat Romam ex illa nauigatione reuerſum, in qua Rhodi clariſsimo dicēdi magiſtro operam Molonis Apollonio dederat, adeò mutatũ, vt affirmat Plutarchus ſuum Ciceronem Romam nō cognouiſſe, & genus quidem illud dicendi Aſia-

ticum fuerit licet in ſua ratione perfectum, nunquã tamen Atticis probatum fuit. Sed iam ſatis digreſſi ſumus, quod enim de oratore dico, de hiſtorico ſentio, immo maiorem diligentiã in ſcribẽdo, quàm in dicendo adhibendam opinor. dicta prætergrediuntur aures vt negari ſæpe poſſint; ſcripta poſteritati mandantur, & ſatis prouiſa creduntur. numeros igitur ſequatur hiſtoricus cum ornatus cauſa, tum etiã delectationis. Abundet, ſed non exuberet oratio, ita ut quod medium eſt tueamur, reſecemus ſuperflua. numeros verò qui ſint probandi ab Ariſtotele M. Tullio, cæteriſq; tum græcis tùm latinis ſcriptoribus, qui Rhetoricam artem tradiderunt cenſeo mutuandos. nobis loca monſtraſſe ſat erit. Quæri tamen illud ſolet, quod nobis tertio loco in elocutionis ratione propoſitum fuerat diſputare. ſit nè in hiſtoria cõcionum aliquis vſus, quibus maximè hortari, dehortariúe exercitus Imperatores conſueuerunt. cuius diſputationis vnde nobis videatur anſa ſuſcepta altius eſt repetendum. Si enim vniuerſa hiſtoria narratio eſt, qui poteſt oratio ſuis partibus, membriſq; cõſtans interponi? videtur ſanè id, quod philoſophi fieri poſſe negant, corpus corpore penetrari, integrum enim quiddam oratio, corpuſq; perfectum habetur. Ad hæc, ſi quidem ſuperuacuum omne vitandum eſt, num non ſufficiet hortationis

ſummam,

summam, argumentumq́; narrasse? Præterea cum nobis sit cõstitutum numeris illustrari historiam oportere, sitq́; deliberatiua oratio suasionem, dissuasionemq́; continens, aliquanto etiam quàm iudicialis numerosior: iisdem nè numeris, quibus historia, an aliis ornabitur oratio? diuersis certè nequit. Si eisdẽ vtare, cauẽdum est certè nè lectorẽ fastidiat oratio, néue nimio plus quàm decuerat videatur affectata. Grauissimus etiam author Polibius multis sanè verbis contendit orationes historiis non esse miscendas; aduersatur his tamen consuetudo. Quotus.n. quisq́; historicus est paulò laudatior, qui non concionetur? qui pulchrum, dignumq́; nõ existimet Imperatores concionantes inducere? multum enim ardorem, vim magnam oratione legentibus adiici putãt. Existimant deinde ad consilia cognoscẽda, ingeniaq́; cum Imperatorum, tum militum prodesse plurimũ quasi ante oculos orantem statuere Imperatorem. Nam si poetarum carmina compellunt homines vt sese morti libenter offerant vi quadam, atq; suauitate tracti, quod de Tyrtæi versibus Leonidã illum seniorem Spartanorum regem iudicasse ferunt. cur nõ idem efficiat oratio? Sed dicet forsitan aliquis, profuit illa quidem tum cum res agebatur, nunc verò cum res gesta legatur, quid opus est animorum ardore? Quid violentia mentibus infertur? hic sanè

non

non videt hiſtoriam a ſe inutilem, ineptamq́; fieri. non enim legimus ut delectemur, ſed propterea res geſtas cognoſcere volumus, ut imitemur quæ imitanda iudicauerimus, vitemusq́; contraria. Itaq; legendis hiſtoriis, & ad patriam defendendam incendimur, & militandi flagramus deſiderio, & in ipſis præliis eorum, quæ legerimus recordatione hortantem nobis proponimus Imperatorem, audentiusq́; vel inuadimus hoſtem, vel propulſamus. Hominis eſt ſanè miſeri, inanis, atq; ieiuni ſolam ex veterum lectione captare delectationem, auriumq́;, atq; animi voluptati ſeruire, nulla penitus ratione vtilitatis habita. Si meum igitur arbitrium ſententiæ loco accipiendum putatis, conſuetudini parendum exiſtimo: & quoties res deſiderare videbitur conciones Imperatorias interponendas non dubito. Puto tamẽ quemadmodum in cæteris rebus, ſic & in hac ipſa delectum habendum, modumq́; ponendum. Quis enim crediderit clarisſimos hiſtoriarum ſcriptores nullo conſilio has integras orationes ſcripſiſſe? illarum vix attigiſſe ſummas, in quibusdã ſatis habuiſſe dicere hortatum eſſe milites Imperatorem? Qua in re quid obſecro præcipiam? cum ſit totum iudicio, prudentiæq́; tribuendum? ſed tamen loci, temporis, occaſionis, perſonarum, dignitatis rationem habendam iudico, ingenia militum conſiderandа,

da, hoſtium vires, atq; facultates, vt inde quo pacto cum exercitu ſit agendum prudens Imperator intelligat. Scio ego plurimos mihi aſſenſuros non eſſe. eſto enim inquiēt demus hoc tibi, habitas apud exercitum orationes, quemadmodum tunc ad inflammandos animos profecerint, legentibus etiam poſt tot conducere ſecula. Quid quæ habitæ ſunt ad populum orationes? quid quæ in ſenatu? ego verò maximè vtiles Remp. præſertim adminiſtraturis iſtius modi arbitror orationes, cum quibus artibus tractãdus ſit populus circumagenda multitudo cognouero, qua ratione concitandus, vel contra flectendus, ac deterrendus. ego quidem de meo ſenſu, iudicioq; verum vobis palàm confitebor. Cum Demoſthenis orationes illas, quibus in Philippum magni Alexandri parentem concitauit Athenienſes lego, ignoſco populo, qui ſe tam periculoſo bello vi orationis implicuit. Adeò me mouent, incitant, impellunt, libenterq; diſſuadentis Phocionis orationes legerem, quantum inter utrumq; interſit oratorem inſpecturus. Vis nè igitur (quiſpiam forſitan dixerit) inflammari ad deteriora populos, periculoſis turbari conſiliis orationis incendio deprauari? immo ex aliorũ euentu diſcere noſtros homines cupio, non ita ſe dedere orationi oportere, vt non examinentur vires propriæ, perpendãtur facultates, conſiderentur exi-

tus,

tus, casus præuideantur, omnia præparentur, quæ rem conficere posse, aut non posse existimabuntur. Nihil ergo ad meam non transferam vtilitatem, vt enim medici causas morborum accuratius perspiciẽtes medentur; sic ego eorum, quæ historia percepero; quanquam ab historico mihi traditas ex ipso tamen fonte purius, liquidiusq́; hauriam, quarum plereq́; in senatu, vel apud populum habitis orationibus continentur. Sed fuerit operæpretium quæ cõtradicuntur, quæ supra sunt a nobis memorata dissoluere. Vt quoniam consuetudini obtemperandum ducimus, non vulgi auram sequuti, sed rationem habuisse ducem videamur. Iam igitur primum omnium, falsum illud esse constat, quod quidam affirmant, addi nouum historiæ corpus, cum vel concio adiiciatur, vel oratio. Etenim cohortationes, quibus incitantur, deterrenturúe, atq; coercentur vel milites, vel populi nemo negat historiæ maximè proprias esse. quid ergo interest? tãtum quòd pluribus, paucioribusúe verbis, ornatius, vel contra traduntur. est enim idem ferè ipsa imitari verba, quæ concionator habuisse credendus sit legentium animos commouere, lautiorem suppellectilem ostentare, atq; vt alias diximus leuare nouitate molestiam, ac satietatem, historiamq́; distinguere quasi splendidissimis quibusdam gemmis. nam quod ad nume-

ros

ros attinet (id enim ſecundo nobis obiiciebatur loco) quid obſecro prohibet, quominus exultet ſcriptor, vehementius flagret, & ſi ita malunt laſciuiat? cum præſertim corrumpendæ concionis ſit omnis adempta ſuſpitio. Ego ſcriptori cõcedendum exiſtimo, vt omnes eloquentiæ vires in concionibus imitandis effundat: modò locorum, temporum, perſonarum, ipſarũ deniq; cauſarum habuiſſe rationẽ intelligatur. Sed hæc ſatis, ut opinor, ſunt nobis explicata, & forſitan vagati plus æquo cenſebimur. illud verò quæri ſolet: quibus nam verbis vtendum ſit hiſtoriam ſcribenti, vulgaribus (ut aiunt) & noſtratibus, vel certè oratoriis. quæ mihi ſanè quæſtio ludicra videtur. quis enim dubitat optimis, atq; lectiſſimis vtendum eſſe ſcriptori, perſpicuis tamen vſuq; receptis? ſcribimus enim vt intelligamur, neq; volumus in verborum aucupio laborare lectorem. nec interim placet eo hiſtoriam labefieri ſermone, quo vtuntur feces hominum, atq; ciuitatum. illa Marci Quintiliani ratio certè probatur, vt ex nouis maximè vetera, ex ueteribus maximè noua vocabula ſeligãtur. nam Cæſaris quidem illud præceptum veriſſimum eſt, quo non minus obſoleta verba vitare iubet, quàm ſcopulum in mari, nè ſcilicet nauis impacta frangatur. de ſententiis, quæ ornandi cauſa orationi interſeruntur extremus locus eſt nobis diſputã

di reliquus ex his, quæ ad elocutionẽ ſpectant. qua de re pauca dicemus, vt vobis ſit integrè ſatisfactũ. Tria ſententiarum genera dicuntur eſſe, ſunt enim ſententiæ quædam in re ipſa, qua de agitur poſitæ, quæ tibi ſunt neceſſariò tractandæ. hæ licet orationẽ ornent, non tamen egent artificii cum in ipſa ſint cauſa. Alterum earum genus eſt, quæ cauſam conſequuntur, atq; comitantur, quæ vel proponuntur ſimpliciter, vel argumento concluduntur, quæ ſunt quaſi cõmenta quædam ἐνθυμήματα Græcis vocata. huiuſmodi quidem ſententiæ orationem ornant, verũ quemadmodum, & priores ab inuentione petuntur. nam & illæ cauſæ ſunt partes, & hæ licet extrinſecus comparẽtur, tamen coniunctæ rei eſſe vidẽtur, quaſi de induſtria res omnes ornante natura. Tertiæ ſententiæ ſunt, quas effert ſcriptor, excipiẽs ex ipſo eloquentiæ veluti fonte, quæ illuſtrant orationem magnopere ſi ſuis locis ſtatuantur, ſi non altius videantur petitæ, ſi cohereant, ſi denique ad eum ipſum locum videantur natæ, in quo ſunt ab ſcribente conſtitutæ; ſi non ſint quàm oporteat crebriores. vt enim hebeſcũt oculi pluribus luminibus obuii, quæ ferre non poſſint: ſic mentis acies nimia ſentẽtiarum crebritate turbatur, percipit difficilius, obtunditur citius. Sed in omnibus illud, quod nobis ſupra memoratum eſt teneatur medium, neúe in alterutram partem

tem declinetur, ſed linea ſeruetur Stoicorum, vnde meritò figuræ, atq; ornamenta ſententiarum appellantur, quæ illuſtrant orationem. quamuis, & ſuas quoq; figuras habent verba, ſed tanguntur magis animi, mouentur, atq; excitantur ſententiis. Eſt & altera ſententiarum diuiſio, quædam enim apertè ponuntur, vt Nè quid nimis. Veritas odiũ parit. Noſce te ipſum, & quæ ſunt eius generis. Teguntur, atq; velantur aliæ, vt quæ per allegoriam cognoſcuntur. declarat Marcus Tullius quinto librorum, quos de finibus conſcripſit Homeri fabulam de cantu Sirenum Vlyſſem inuitantium. non enim exiſtimat cantus ſuauitate, aut nouitate vocum allicere ſolitas nauigantes, ſed quod varias profiterentur artes, ſcientias, diſciplinasq; diuerſas; homines diſcendi, ſciendiq; ad ſe traxiſſe deſiderio. Homeri carmina ſunt odiſſeæ libro duodecimo ſiue μ.

Δευῤ ἄγ' ἰὼν πολύαιν' ὀδυσσεῦ μέγα κῦδος ἀχαιῶν,
Νῆα κατάστησον ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,
Πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὼ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.
Ἀλλ' ὅ γε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.
ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ τροίῃ εὐρείῃ
ἀργεῖοι τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν,
ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

quæ in hunc maximè modum Cicero vertit.

O decus Argolicum quin puppim flectis Vlyßes,
Auribus ut noſtros poßis agnoſcere cantus?

Nam nemo hæc unquam est transuectus cærula cursu,
Quin prius astiterit uocum dulcedine captus,
Post uariis auido satiatus pectore musis
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, clademq; tenemus
Græcia quam Troiæ diuino numine uexit
Omniaq; è latis rerum uestigia terris.

Iam Horatius Iliada, atq; odisseam ἀλληγορικῶς altera prioris libri Epistola declarat. explanationis initium hinc sumitur Iliados.

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia barbarie lento collisa duello
Stultorum regum, & populorum continet æstus.

Odisseæ.

Rursus quid uirtus, & quid sapientia possit
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.

Quid cum Proteum Neptunni pascere phocas, in uariasq; se vertere formas fabulantur. nonnè sapientem virum describunt tot formas accipere, quot ca leat artes? quæ est etiã Herodoti sententia. cecinit in carcere Socrates Aesopi fabellas somnii (ut ipse ait) expiandi gratia, quo musicem exercere iubebatur si fortè vulgarem præciperet musicam, addito in Apollinem procemio. nempè propter sententias, quæ sub apologis latent. eadem ratione apud Plato

nem

nem Protagoras, fabula quid ſentiret dicitur explicaſſe. quanquam ille, vtpotè ſophiſta laqueis capere volebat Socratem, qui cum diſputabat. Quid Gygis annulus cuius pala ad volã verſa nè videretur efficiebat. nõnè oſtendit peccandũ non eſſe nè ſi Deos quidem, atq; homines latere ſe quis poſſe ſperaret? deniq; Philoſophis nullus alius eſt fabularum vſus, quam vt ſententiarum vtilitatem inde ſuſcipiant. videndum tamen eſt, ſit nè huiuſmodi fabulis, fabuloſiſúe ſententiis ei, quem quærimus vtendũ ſcriptori, & vt breui me expediam ſic iudico, ex perſona ſcriptoris nequaquam licere, ex aliena tamen concedi. Patauinus enim Liuius Agrippæ Menenii fabulã narrat de membris contra ſtomacum cõiurantibus, qua plebem patribus dicitur conciliaſſe. Quæ fabula ſi verbis conſideretur inanis ſanè videbitur, ſententia perſuadendi uim habuit. & de elocutione quidem ſatis. Tum aſsiſtentium quidam multo tu ſanè breuius, quàm vellemus iſta percurris, nè tamen curſus orationis impediatur, quem ego inuitus interpellaui ad cætera, quæ propoſuiſti perge. Tum ego nihil a me dictum eſt noui, nihil quod ab antiquis, clariſſimisq; nõ ſit traditum, atq; obſeruatum authoribus; quo factum eſt, vt hac breuitate vos putarim eſſe cõtentos. cum præſertim neminem hic viderem, qui multoties, quæ a me dicta ſunt non legerit, atq; adeò

ſit

ſit aſſequutus. quare ad ea, quæ reſtāt amice deueniē dum opinor; deq; hiſtoriæ generibus paucis dicēdū.

Quot, & quæ hiſtoriæ genera.

SINT enim plura hiſtoriæ genera ſtatuēda, an ſim plex ſit omnino, vnaq; omnis hiſtoriæ forma dubitari poſſe video. etenim ſcribendi, vel modo, vel ſerie differre aliquid inter ſe ſcriptores, dubium non eſt: finem tamen eundem, idem argumentū, non ſanè numero, ſed forma (vt Philoſophorū eloquar more) hiſtoricos omnes reſpicere conſtat. finis enim eſt vtilitas, (vt initio dicebamus) argumentum vero maxima ex parte rerum geſtarum expoſitio, ſed quoniam pleriq; diuidunt, nos quoq; ſecernamus, duplicemq; faciamus hiſtoriam: vt ſit altera, qua populorum, gētium, nationum, Regum facta narrētur. Altera, quæ conſtantium rerum ordinem, ac firmitudinem declaret. Vnde naturæ quidam ſe tradunt hiſtoriam ſcribere, quam etiam ſcindētes Philoſophorum quidam, & maximæ quidē authoritatis inter quos eſt & Ariſtoteles, & ſcholæ ſucceſſor Teophraſtus animalium ſe, atq; plantarum hiſtorias tradere profitētur. illud verò quæſtione dignum videtur, tractationem de anima rectè ne an perperam hiſtoriam vocent. videtur enim certa res hiſtoria, de anima verò acriter Philoſophi præliantur, certant opinionibus, adeò ut quem ſequare, cuiúc potiſſimum aſſentiare non habeas

beas

beas.nec reſponderi ſanè poteſt varias in pleriſq; rebus vulgarium hiſtoricorum eſſe ſententias. nam in rerum ſumma conuenit inter eos, de tempore, parẽtibus, nominibus, patria quorundam dubitatur, quibus etiam nõ cognitis, hiſtoria percipi nihilominus poteſt. at in his quæ de animo diſputantur nihil habeas quod pro certo affirmes, niſi in alicuius verba iuraueris, & tamen ea ipſa diputatio ſibi nomen hiſtoriæ vendicat, propter hoc opinor quod ſi animũ hominis exceperis, animum inquã, quo a cæteris ſecernitur animãtibus reliqua certa ſunt; quæ denutriente, mouẽte, eáq;, qua ſentimus traduntur anima. dici etiam poteſt, ſuperioris quoq; mentis hiſtoriam eſſe, certa ſunt enim omnia diuina, cumq; traduntur tamet ſi varient propter noſtram imbecillitatem, re tamen eadem eſſe, idq; ad hiſtoricam ſatis expoſitionem videri. Quod vel eo maximè probatur argumento, quòd cernitur in natura, de cuius principiis tot ſunt ferè ſententiæ, quot conſcripſere Philoſophi. Alia nempe cenſet Anaxagoras, Empedocles alia. Iam auſi ſunt quidã non ſolum plures mundos, ſed innumeros etiam ſtatuere, innumeraq; intermũdia. Iã quidã extra mundũ aliquid eſſe ſuſpicati ſunt cũ vnicũ poſuiſſent, quodq; extra eſſet infinitũ aſſeuerarunt. Quid? nõ ſtellas, terræ humore nutriri, vel certè maris, tàm quibuſdam verum viſum eſt, quam

quod

quod verissimum. Et tamen in tanta rerum varieta-
te vniuersi propè naturæ se historiam scribere prædi
cauerũt. vnũ modò, simplexq́; scientes esse verũ, atq;
id ipsum se tenere putãtes. Res.n.ipsa nõ scribẽdi ra
tio, siue figra historiã vtiq́; facit, cũ re, non verbis ve-
rũ falsumúe iudicetur. ego quidẽ dicerẽ, qui istiuſ-
modi disputationem historiam appellauerunt hoc
fuisse secutos, quod scilicet historicos legerent di-
uersas & in consiliis capiendis, & in rebus ipsis narra
re sententias. quare & obiter disputata, & opinionũ
expositionem historiæ nomine decorarunt, quod si
largimur, omnes ferè disciplinæ historiæ promere-
buntur honorẽ. nisi melius fortè dicatur, quicquid
præter rem gestam scribatur historiam per transla-
tionem vocari, de his autem satis multa. scribendi
quidem non omnes vnum idemq́; genus probarunt.
nam quidam tempora secuti sunt, non tamen anno-
rum ordinem in numerũ redegerunt, vt quid quoq́;
gestum sit anno, velut scopo proposito cognosca-
tur. Ii satis habuerunt tempora temporibus cõiun
gere, factis facta non annorum numero, sed gestorũ
successione. qui verò annalium scriptores nominan
tur in his, quo anno historia cœperit, quo finita sit.i.
quousq́; scriptor peruenerit, quid mediis annis atq;
intercidentibus contigerit intelligi facilè potest, qui
mos apud Romanos à maximis pontificibus princi-
pium

pium, atq; originem traxit, qui acta ſingulorum annorum perſcribere conſueuerunt, idq́; hiſtoriæ genus, quæ prima fuit apud Romanos annales maximi ſunt appellati. fuerunt admonetæ, annales etiam lintei, quibus vtitur maximè Liuius. fuerunt qui vitis hominum ſcribendis, prodendiſq́; moribus animos oblectarint, quos Plutarchus Philoſophus hiſtoricis non adnumerat, cum & vitas ipſe conſcripſerit. credo quod non geſta narrare ſtuduerint, ſed animorũ pictores haberi: vt cum mores, vitam, victum, conſuetudinem hominum nobis ante oculos ponerent notiores nobis eſſent, quàm ſi illorum ſtatuas cerneremus, vel pictam certè tabellam oculis, atq; animo luſtraremus; quam etiam vtilitatem hiſtoria præſtat. ſed illud forſitan intereſt quòd hiſtoria ſit Reip. huius, vel illius hominis vita, in qua id modò tangit ſcriptor publici muneris, quod contingit ad illum vnũ pertinere. Mihi quidem vel priuata hiſtoria, vel minus accurata vitarum perſcriptio nuncupanda videtur, vt nec penitus ab hiſtoria recedat, finemq́; habeat ab hiſtoria remotum, atq; alienum; cum altera verſetur in publicis, altera vitis hominum deſcribẽdis ſit occupata. & de hiſtoricis quidem generibus hæc habui ferè quæ dicerem. difficillimum eſt quod ſequitur, eſt enim quemadmodum hiſtoria tractãda ſit præcipiendum, qua in re niſi vos tam attentos vi-

derem nihil penitus aggrederer. videndum enim mihi putarem, vt materiam meis viribus aptam sumerem, diuq; versarem quid recusarēt humeri, & quid ferre valerent. sed tantæ vestræ attentioni qua sitis benignitate facilè ostendenti deesse non licet, & si vereor nè perpetua non sit, nihil enim habet delectationis, nihil voluptatis, aut suauitatis oratio. Præueniam tamen vestrum ipse fastidium, remq; quàm breuissimè potero absoluam, vt & vos attente audisse non pigeat, & ego non succumbam oneri. Illud vnum scitote rem esse vestris auribus, atq; hoc consessu dignissimam, sed quò grauior est, eò magis vitandam molestiam puto; ad pensum igitur deueniā nè quid vobis debeam; vos, quos mihi hactenus præstitistis ad dicenda seruate.

Historicæ præceptiones, quæ potissimum scriptori seruandæ.

NVNQVAM mihi quidem satis pro merito laudare posse uidetur Deus ille Opt. Maximus mundi melioris origo, rerumq; parens omnium, & opifex natura, siue prouidentia ea sit, quam προνοιαν Græci vocant, seu uis quædam diuina cuncta patrans, seu animus, mensq; mundi, siue quicquid sit illud, quod naturæ nomine delectetur. Videmus enim nihil constitutum esse necessitatis gratia, quòd idem ornatū, ac pulchritudinem nō præseferat; quod quidem pluribus

ribus argumentis facilè mihi fuerat oſtendere, niſi a' clarisſimis authoribus eſſet iã accuratisſimè diſputatum. Illud certè dicendum eſt, cuius cauſa hæc nobis eſt oratio ſuſcepta, omnia ſcilicet quæ de hiſtoria nobis ſunt adhuc poſita, & quæ ſtatuentur non minus ornare, quàm conficere. Nam etſi præcipua ornamenta ab elocutione petuntur, cæteræ quoque partes ſuum habent decus, atq; ſpeciem, quæ res lectionis exercitatione nemini non ut opinor patebit; ſed cominus pugnandum nobis eſt, atq; quod recepimus aggrediēdum. Et de pronunciatione quidem dicere nihil iam ſupra docuimus attinere, ſcriptorē enim non recitatorem ſtatuimus, licet vetere more cuperent homines ſua ſcripta recitare, idq; præclarum exiſtimarent: non tamen eorum nobis habenda eſt hoc tempore ratio. Memoria fateor ſcriptorē egere, quemadmodum ſupra quoq; demonſtratum eſt, nè ſibi contraria ſcribat, néue ſæpius idem repetat, hiſtoriamq; perturbet; cui rei naturam conſuluiſſe puto. ſtuporis enim eſt incredibilis, atq; adeò inhumani, vel legendi crebritate non uidere, quæ ſuperioribus ſint aduerſa, quæúe fuerint ante tradita. Cicero tamen in claris oratoribus enumerandis Curionē, eius Curionis patrem, qui Trib. plebis in Africa dum Cæſaris partes tueretur interiit. adeò hebetem ingenio fuiſſe ſcribit, ſic infœlicē memoria, ut nè tē-

pora quidem, de quibus ſcriberet recordaretur, & cum Cæſarem conſulem reprehenderet, quæ poſt conſulatum ab illo ſunt adminiſtrata, tãquam præterita criminaretur. Sed hoc rariſsimũ eſt, & eius qui dẽ hominis, qui totã cauſam, quã dicturus erat oblitus ſit in iudicio. ſcriptor verò noſter, ea memoria cõtẽtus erit, quã acceperit a natura, qua tamẽ bene vtetur (creſcit.n. colendo memoria) ut ablato ſitu, atq; ſquallore redduntur agri fertiliores. legat ſua ſcripta frequẽter, deleat, mutet, amputet, vbi fuerit opus augeat. ut lapides eiiciat aſperas, ſeuasq; ſententias, duritiẽ verborũ nõ ſecus ac ſentes euellat; ſic & perficiet opus, & ſibi memoriã comparabit, quem Theſaurũ rerũ omniũ merito M. Tulius appellat, quæ niſi acceſſerit cuſtos verborũ, atq; ſententiarũ, & ipſius etiã diſpoſitionis cũcta corruãt, pereãtq; neceſſe eſt. ſed neminẽ ita natura deſtituit ut Curionem, quare vt paulò ante dicebam ea contentos nos eſſe decet, qua nos natura donarit, ea nãq; exculta adolebit bonãq; pariet frugem, quam nonnunquam augebit ſtylus, nonnunquam etiam reſecabit, ac ſæpius. Probè mihi nanq; dicere coloni videntur, qui ſemper falce vtẽdum eſſe confirmant, ſemper ſecuri; nunquam enim deeſt quod reſeces, quod amputes, quodq; reſcindas. Maxima pars igitur operis exercitatio, aſſiduitas diligentia, ſed cæteræ partes iam ſunt illuſtrandæ

dæ,& quoniam elocutionem iuxta inſtitutum nobis tranſegimus opus,ad inuentionem redeamus ſi pauca prius de iudicio dixerimus, ſine cuius ope nihil dignũ,nihil graue, nihil exageratum,examinatumúe confici poteſt. Magna eſt vis iudicandi, maximeq́; neceſſaria,quam cum ſibi omnes polliceantur,pauci tamen(ut mea fert opinio) conſequuntur .nulla eſt enim res vel domeſtica, vel forenſis,vel priuata, vel publica, quæ iudicii non deſideret operam, auxiliũ non expetat, paccabis niſi in agendo, in contemplã do,in deliberando,in ſcribendo iudicium adhibueris.nemo ſcriptor,nemo bonus orator,diſputatorúe ſine iudicio fuerit. nemo recte non iudicans probè philoſophabitur . itaq; ut animus vniuerſo corpore continetur ſic per omnia orationum genera officiũ diffunditur,eſtq́; dictorũ,factorum,ſcriptorum omnium mens,atq; animus . M. ergo Tullius iudicium oratoris maximum eſſe munus exiſtimat .M.Quintilianus vel ſextũ putat officiũ oratoris eſſe, vel ad reliqua cuncta referendum officia, de quo paulò accuratius ſum loquutus,ut vos monerem nullã vitæ partem probè, cõmodè, æquabiliter abſq; iudicio tranſigi poſſe. eſt igitur iudiciũ quod impreſentia quærimus rerum, verborumq́; delectus,modum adhibens, diſtinguens, atq; aperiens dicentis, ſcribentiſúe ſententiam.hoc comitatur imitatio, magni.n.

est iudicium scire imitari, sed imitationem prætermitto, longi est enim sermonis, aliudq; poscentis dicēdi genus. de iudicio dicere pergo, quod tribus rationibus cōparatur ætate, vsu, diligentia. quis enim dubitat melius iudicare senes quàm adolescētes, maturos intelligo senes, non eos, qui ad infantiam senectutis vitio redierunt. Iam experiendo fieri iudicium nemo negabit; itaq; qui magnis in rebus versati sunt, quorumq; maximus est vsus hi consulere, hi iudicare creduntur optimè. quantam autē vtilitatē afferat iudicantibus diligentia testari possunt multi, qui naturæ destituti donis hebetes, atq; rudes, profecerunt tamen diligentia tantum, ut prouidere, consulere, iudicare egregiè censerentur; quod in omnibus artibus est exploratum. Superat, superat inquam naturæ incommoda diligentia, eaq; maximè iudiciū parat. quid autem prosit scriptori iudicium, quæ deinceps dicemus ostendent; nunc vt decretum erat de inuētione dicamus. iam enim necessariam scriptori, quem instruimus ostendimus inuentionem, quandoquidem qui eam adimunt illud ipsum, quod relinquunt inuentione sublata dare non possunt, cū palàm sit delectum argumenti vim sibi inueniendi vēdicare. Sed omnium primum quid oratoria inuentio ab historica differat videamus. sunt autem discrimina tria, primum quidem quod orator non tàm

vera

vera quærit, quàm uerisimilia, historicus semper vera. amittit enim historiæ dignitatē qui vera falsis inuoluit. vnde quæri solet sint nè historicis adnumerādi, qui poetarum historias canere profitentur, quos quidem historicis ego non aggregauero. neminem enim video qui fabulam non misceat historiæ nisi fortè credendum Homero sit Alexādrum Menelao ereptum a Venere, vel Venerem ipsam, Martemq́; a Diomede vulneratos, quid Deorū iurgia memorē? quid adulteria? nam lasciuos canere amores in lucro & ille, & cæteri ponunt Poetæ. Quid noster Maro? & quando probabit Aeneam à Didone visum, fœminamq́; castissimam insigni nota altis licet versibus canat historia refragante nunquam inficiet. Mitto cæteros omnes enim eodem fuco paribusq́; delinimentis carmina decorant. quibusdā tamen nè Poetæ quidem videntur existimantibus nihil præter fabulas esse poeticum. sed & ii quidem non omnia dicunt, nā Deorum laudes canunt Poetæ, quas palam non esse fabulosas. de illis loquor hymnis, quibus superos nostra veneratur ætas, nam vetera Deorum cōmēta nefandorum dæmonum inuenta credi par est; vnde excusantur qui Poetam fabulatorem scribūt inania quædam numina decantātem, ego sanè huiusmodi scriptores Poetas existimabo suoq́; genere, ac nomine appellabo ἐποποιοὺς, de quibus infra erit fortè dicē

di

di locus illud in præſentia teneamus hiſtoricum in primis præſtare debere, vt ſit verus, quod Græci nõ ſeruant hiſtorici, quo fit ut inter eos de rebus ſæpe non leuibus oriatur diſſenſio, ſeq; mutuo accuſent quaſi dicta die, ſed Græcos quidem ſcriptores inſita natura leuitas, atq; inconſtantia apud quoſdam fortè defendet; nos hiſtoricum veri defenſorem eſſe volumus, atq; narratorem. Quod autem diximus, ſimilia veri oratorem quærere, a conſuetudine potius quam a re ipſa ſuſceptum eſſe videtur. etenim ſi vir bonus ſit orator veras ſemper cauſas defenſitabit. nos tamen eo ſimus oratore contenti, quem vulgo cognoſcimus, qui falſa probat nonnunquam, quòd ſint ueriſimilia. Alterum diſcrimen eſt, ea ſanè ab oratore reperiri, quæ huic tempori uni cõferant cauſæ. Hiſtoricus verò inueniet, quæ propagentur in æuum, atq; adeò frequentius, quæ ad ciuitates, gẽtes, nationesq; pertineant. Tertium uerò diſcrimẽ dicitur, quod orator totam inuenit cauſam, omniaq; argumenta præter ea, quæ dicuntur artis expertia. ſcriptor verò noſter rem geſtã accipit, neq; ipſe aut cõminiſcitur, aut reperit. eſt tamẽ aliqua ſimilitudo inter oratoriam, atq; hiſtoricam inuentionem; nam & in certis perſonis laudandis, vel certè vituperandis, accuſandis, vel reprehendendis hiſtoricus ſæpe verſatur, ut cum Themiſtoclem, Ariſtidem laudat,

Pauſaniã

Pausaniam accusat, atq; vituperat; Periclis acta defendit. est & alia similitudo, quod vterq; ab his, quæ in promptu sunt inuentionem aucupatur, popularis est enim oratoria dictio, popularis & historia. itaq; ab eodem naturæ fonte inuentionem vterq; videtur haurire, sed quid, & quomodo inueniendum sit historiam scribere constituenti iam præcipiamus. Principio vires examinet suas, atq; scriptionem illis accõmodet; illud enim Horatii præceptum, licet poetis traditum sit, omnibus tamen prodest, & præsertim historicis, qui sibi proponere debent magnum esse susceptum onus, totq; sustinere personas, quot historiæ subiiciunt. Quid igitur præcipit ille Poeta?

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus, & uersate diu quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri, cui lecta potenter erit res
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Quibus versibus non solum egregius, prudensq; Poeta examinandas vires præcipit, sed & vim inuentionis demonstrat, cum ergo quid efficere possit historiam scripturus perpenderit, tũ suis facultatibus accommodet scribenda. sunt enim multi orbis historiam tradere polliciti, qui cum in ipso aditu defecissent turpissimi sunt existimati, atq; impudentissimi. Ego quidem minora viribus, potius quàm maiora profitenda consulerem, nè fumus ex fulgore; sed

ex fumo non expectatus orietur ſplendor, mallem tamen non ſcribere, quam argumentum ſumere nõ illuſtre. mihi.n. valde probatur, Alicarnaſſei Dioni. ſententia in rerum Romanarũ exordio vbi obſcurũ, tenueq́;, indignum hiſtorico prædicat argumẽtum. ſcriptorem igitur non neruis deſtitutum, ſed robuſtum volo, qui fœtum edere poſsit hiſtoria dignum, ſed ad reliqua pergamus. Vbi ſcriptor igitur quid ſibi ſit ſcribendum, quouſq; progrediendum delegerit, quæ ad eam rem pertinent diligenter inquirat, vel veteribus legẽdis authoribus, vel ab his, qui interfuerint ſciſcitãdo, nec ab omnibus quidẽ, ſed ab his dumtaxat, qui ſcire potuiſſe credantur, vel ab his cognouiſſe, qui ſciuerint fideliter explicata. multi multa narrant homines glorioſi, vt ſibi apud alios authoritatem parent, quæ neſciunt, quibus nõ affuerũt. Multi vulgi ſequuntur rumorem, audita loquuntur, qui nẽ a quibus quidem audierint affirmare poſſunt, quos non ſequetur hiſtoricus ſi me audiet, ſed curabit omnino vt liquidum, purumq́; hauriat quicquid ſit illud, quod ſcribendum receperit. Quinq; ſunt autem ſcriptori reperienda Cauſæ, Conſilia, Facultates, Tempora, Occaſiones non enim credibile eſt ad ſuſcipiendum, deponendumúe bellum reges, populoſúe temerè, ac ſine cauſa moueri. Interceſſerunt leuiſsimæ ſæpenumero cauſæ, ſed tamẽ aliquæ, nam

& iis etiam bellis, quæ populari temeritate cœpta sunt rerum nouarum cupida multitudine; subesse tamen causas necesse fuit, quæ quò sunt occultiores, eò sunt accuratius exponendæ, atq; altius nõnunquam repetẽdæ ut historiæ munus expleatur. Videtur etiã bella præter omnium expectationẽ deposita, quod sine certis causis factum non fuisse constat, hæ sunt etiam aperiendæ, in omnibus tamen habendum existimo modum, ne aut negligentius quam oporteat tractentur, aut altius quam sit opus petantur. Alterum enim & obscuram efficit narationem, & notam inurit scriptori pigritiæ, atq; socordiæ. alterum officit breuitati, parit fastidium, scriptoremq; ipsum affectatorem inanis gloriæ cogit existimari. Causas autem non vnica ratione considerari palàm est. quædam enim efficiunt, ac mouent, ut illatæ iniuriæ, quibus satisfactum non sit. incitant quædam, atq; stimulant potius quàm efficiunt vt desiderium Imperii, inuidia alienorum bonorum, metus imposterum; plerunq; enim accidit ut occupemus ipsi cum veremur nè quiescentibus nobis præueniant alii, nostrumq; conuellant statum. quod nuper Senensi bello perspici potuit. Causarum etiam, quædam in nobis ipsis sunt, quædam extrinsecus accedunt. In nobis ipsis, ut cum ad fugiendam seditionem domesticam bellum externum ciemus, uel cum abundantes multitu

dine colonias deducimus ut plebem exoneremus. Extra nobis eueniunt quæcunq; ab aliis efficiuntur, vt cum axilium finitimi petunt, vel cũ fines nostros, aut turbant, aut occupant. Causarum præterea quædam sunt, quas præuidere potuimus, quibus etiam ob viam ire, quædam subitæ, insperatæ, repentinæ, quibus subita adhibenda sunt remedia, has omnes causas, earumq; genera, euenta, remedia cognoscere, tradere, explicare scriptorem oportet, nequid sit in historia, quod desiderari possit. Consiliorum locus est alter, quorum cõiuncta causis sunt quædam, alia seiuncta. non enim sat est ad rem aliquam agendam, vel certè prætermittendam causam subesse nisi fieri, vel prætermitti, vel in aliud certè tempus differri interim dissimulari conducat. quoties enim legimus minoribus maiora prælata, dilata quædam, recepta iterum cum maximè obliterata putantur, hæc atq; huiusmodi consilia causis constat esse cõiuncta, quæ veró seiuncta sunt, ac separata cœptis plerumq; rebus capiuntur, ad eaq; referuntur, quæ nobis sunt deinceps tractanda. sunt quædam etiam consilia ex templo sumenda, cum enim res eueniunt eiusmodi, vt repentino sit opus facto, tempus consilio non datur, nè dum Romæ cõsulitur, expugnetur Saguntũ, vt est in prouerbio. consiliorum autem genera, partes, tempora, non est huius operis enumerare sufficit

monuisse

monuiſſe. prudentem enim ſcriptorem volumus, non ignauum, aut rudem. Facultates tertio nobis loco poſitæ fuerant, quæ maximam vim habent in rebus agendis: hæ diuiduntur in publicas, & priuatas, publicæ ſunt ut ærarium, copiæ, commeatus, & quæ ſunt eiuſdē rationis: & priuatis quidem opibus reſpublica creſcit, penduntur enim tributa, cum vſus videtur poſcere, & boni ciues priuatis facultatibus augent, iuuantq; remp. exiſtimantes videlicet in columi rep. quæri poſſe facultates. Priuata ſimul cum publicis interire. Decet igitur ſcripturum hiſtoriam noſſe quoq; quibus facultatibus prædita vel gēs, uel, ciuitas fecerit aliquid, aut nō fecerit vis enim efficiēdi facultatibus conſideratur, quibus metimur, quouſq; progredi liceat, vbi conſiſtere. Tempora ſunt etiam reſpicienda, quæ duobus modis conſiderantur, aut enim facultatibus iudicātur, aut ipſa temporum conditione; accidit tamen aliquando, vt contra fortunam ſit enitendum, cum res differi non patitur, neq; in aliud vult tempus reici. Ad tempora referre ſolemus nobilitatem, vetuſtiora enim putātur nobiliora, nouitas frequenter contēnitur, ſed temporum quidē ratio late patet, quæ eſt ſcriptori in promptu ſemper habenda, vt ſit lucidior hiſtoria diſtincta temporibus, ut quo geſtum ſit tempore vnumquodq; poſſit intelligi. nec tamen veniri ad epheme

ridem

ridem placet minuta nempè hæc rerum quasi in par ticulas cōcisio paruas molesta admodum esse solet, nō in temporibus solum, sed in ipsis etiam rebus; vnde Timæus a Plutarco reprehēditur quòd minima, quodq́; minutissima consectetur, fractamq; nimis tradat historiam. Reliqua est nobis occasio quæ latissime patet, de qua hoc solum præcipiendum videtur; quemadmodum principem reip. in omnem occasionem intentum esse oportet, ut & prosperis vtatur, & aduersantibus obstet; non minus historicum explicaturum esse diligenter quæ captæ, quæ dimissæ sint occasiones, quibus diligētius, negligentiusúe sint vsi illi, de quibus verba fiunt, vt & historia sibi constet, & res quemadmodum gesta est cognoscatur, suumq́; perficiat scriptor opus. Ex his quæ nobis dicta sunt illud intelligi licet, quod cum de inuentione disputaremus initio posuimus scriptorem suis uiribus historiam examinare oportere, quam sit traditurus, nè succumbat oneri, neúe vt dici solet in itinere deficiat. Nam non incipere satius est, quàm cœptis non ponere finem, & de inueniendi quidem ratione tot sint nobis dicta, collocationem paucis absoluamus. Ordinem, dispositionem, collocationem tribus nominibus rem nuncupatam eandem sanè videmus, in qua dilligentius elaborandum est; propterea quod omnem dictionem illustriorem reddit ordo,

do, & ſuis locis ſingula diſpoſita, & placent magis, & nitent. Etenim ſi confuſa omnia poſueris, ſint licet egregia, non ſecus feceris, ac ſi mihi præclaram ſupellectilem auri, argenti, eboris oſtenderis, ut ſint tamen omnia confuſa, & coaceruata, quod ſit vniuſcuiuſq; rei precium, quæ dignitas, quẽ habeant vſum, quamúe cõmoditatem vix intelligam, vel ſi aulea pulcherrima, ornataq; præcioſiſſimè indomus obſcuriore parte collocaueris, impenſam omnem, operamq; certè perdideris, ſunt igitur (ut me paucis expediam) ſuis quæq; ſtatuenda locis, quæ vis eſt collocationis, quàm pulcherrimè ante oculos ponit Horatius Poetica canens præcepta, vel oracula potius verſibus hiſce.

Ordinis hæc uirtus erit, & uenus, aut ego fallor
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraq; differat, & præſens in tempus omittat,
Hoc amet, hoc ſpernat promiſsi carminis author.

vnde perſpici ſatis poteſt, primum venuſtatem orationis diſpoſitione perfici, mox ordinem, ordiniſq; rationem diſpoſitionem eſſe. nam quod Poetis præcipitur hac in parte, ad oratores, hiſtoricoſq; trãsfertur, quod in exordiendo ſeruari maximè ſolet, videriq; curioſius vnde ducendum optimè principium exiſtimetur. itaq; Homerus non ab Helenæ raptu, non a Græcorum principum coniuratione auſpicatus

tus est poema, sed ab Achillis ira, iurgioq;, quo cum Agamennone contendit. Maro quoquæ maximo cũ artificio (vt ego quidem opinor) cum Aeneam Cartaginem aduexisset, illi belli Troiani narrationem attribuit, eamq; ipsam non abultimo repetitam principio, ab equi dolosa fabrica cœpit. Sed quid ego Poetas memoro? cum spectem Aristotelem in his libris, quos editos, & non editos profitetur eum ordinem sequutum, ut eorum omnium, quæ natura conficiũtur priore disputatione initia tradiderit, descripserit naturam altera. Est certè fortiorum laterum, magnarumq; virium vndè sit incipiendum, quousq; pergendũ, quid hoc, quid illo loco statuendum acutius perspicere, animaduertereq; diligentius, quod post paulò dicetur apertius. Hæc tamen res tantæ vtilitatis, tantiq; emolumenti paucissimis transigitur præceptionibus. Tria sunt enim quibus collocatio comparatur Assidua lectio, eius, quod scribitur cognitio, adiuncta prudentia. plerosq; nouisse me memini qui, & obscurissimè dicebant, & collocabãt pessimè, quòd ea, de quibus dicerent non satis tenerent. An creditis indescribendis regionibus hominum variis legibus, ac moribus, ingeniisq; diuersis parum rerum gestarum scriptores aliquando confundi? quod ea neq; percepta, neq; cognita habeant? certè & lectione magna opus est, quod ostendimus paulò supra, & eo, de

quo

quo iam diximus iudicio, unde origine͂ prude͂tia ducit. ſed ia͂ quæ præcipi poſſunt tradamus. Vel reru͂ eſt collocatio, vel certè verboru͂, & verboru͂ quide͂ collocationem cu͂ ſtylus optimus dicendi artifex, ut rectè M. Tullio videtur, tum frequentia, exercitatioq; parit, neq; enim infantem adſciſcimus ad ſcribendum. præterea quonia͂ rebus acco͂moda͂da ſunt verba, qui rerum ordinem ritè ſeruauerit, verborum etiam tuebitur. quod ſentiens Horatius nec facundiam, nec lucidum defuturum ordinem illi cecinit, cui callidè res eſſet inuenta. Tota igitur nobis erit contentio in diſponendis rebus, in quibus id præcipi ſolet, vt is ordo ſeruetur, quo res geſtæ fuiſſe dicantur, ut geſtis coeant geſta, tempora temporibus apte͂tur; que͂ ordinem mutare ſæpe cogimur, cum aut aliquid nobis altius repetendum eſt, aut digrediendum, quod nec temerè, nec crebro fieri oportet, ſed vtilitatis alicuius gratia; vel ut hiſtoria ſit expreſsior, uel molestiæ vita͂dæ gratia, quod cautè nimis eſt faciendu͂, vel hominis alicuius, aut loci ſignificandi, quod fit tribus de cauſis, vel cu͂ ex infimo auſpice vel virtute, vel fortuna ad ſummu͂ quis ſit euectus, quemadmodum de C. Mario Saluſtius, cuius primordia narrat in Iugurta, vel quod frequens de illo habenda ſit in hiſtoria mentio, ut idem Sillæ ingenium in eadem hiſtoria ponit ante oculos, vel cum ingenium ho-

minis imitandum proponitur, vt cum Catonis inte gritas vel superioris Africani singularis narratur mo destia, vel Crassi eius, qui cũ illo ipso Scipione fuit consul virtus summa describitur. Est .n. vitæ speculũ historia, actionumq; omniũ dux, atq; magistra. adde verò si altius quid repetendũ sit nõ est ut aiunt incipiendũab ouo, sed unde necesse sit incipiẽdũ, & quo res postulet prægrediendũ. cum autẽ molestiæ vitã dæ causa digredimur dãda primũ opera est nè ab sco po discedamus, ut cito reuertamur, vt casu, nõ sponte, id ipsũ narratiõe poscẽte digressi esse videamur. illud verò attendendũ est diligentius, cõtingit .n. plerumq; ea nobis esse narrãda, quæ pluribus gesta sunt locis, maximis interdum maris, terrarumq; interuallis, seiunctis, atq; remotis. Hic ergo videndum erit vt interpositiones tum fiant, cum maximè decuerit non sine præfactione quadam. dum hæc aliis locis geruntur: aliò conuertenda est oratio: ad ea reuertamur, quæ geruntur alibi, & quæ sunt eius generis. Illud certè iterũ, sæpiusq; testabor dispositionem nõ tam præceptis, quam scriptoris prudentia, diligentia, iudicio, exercitationeq; parari, omnia .n. quæq; ad breuitatem, quæq; ad perspicuitatem spectant, atq; proficiunt sunt in collocando accuratius consideranda, de quo plura dicere non libet, non quod argumentum dificiat, sed quia quæ dici possunt à

Rhetoricis

Rhetoricis libris petuntur. ſignificauimus enim initio hiſtoricum oratorem eſſe, & magnum quidem oratorem, ab ipſo igitur fonte diducendum videtur, quicquid ad hunc locum confere putabitur. Ego quidem ſeparaui ab oratoriis hiſtoricas præceptiones, vobis ut morem gererē, ut leuiter eruditi orationem ab hiſtoria ſeiungerent, & quatenus hiſtoricus oratoria capiat, vtaturq; rhetoricis cognoſceret, quare de collocatione hæc ſatis. Tunc quidam, qui proximus mihi ſedebat iampridem inquit orationē tuam interpellare cogitaueram, continui me tamen, atq; cohibui nè ſi dicentis impetum tardaſſem nō facilè foret eādem vim accipere, denuoq; recuperare; puto.n. intentum animū relaxari nolle, donec quo ſemel pergere inſtituit tādē peruenerit, nunc verò quoniā collocandi finē feciſti, locus mihi tui patet interpellandi. nā ea quæ de argumētis dicuntur ab his, qui dicendi artē tradiderunt, & inuenienti, diſponenti arbitror eſſe comunia. Reperiēda ſunt.n. prius argumēta, repertaq; diſponēda. Quæro igitur primū vtatur nè argumentis hiſtoricus, & ſi quidem vtatur, qua potiſſimum ſint collocanda ratione, quæ cum ille dixiſſet, atq; conticuiſſet fateor erubuiſſe me, quòd id nō videram, quod ille vidiſſet; Tum quod præter ſpem ceciderat, iam enim omni me moleſtia putabam eſſe liberatum. Ne tamen infantiſſimus uiderer cum

præſertim tam multa ſolus dixiſſem in hunc modũ reſpondi. Neq; argumentis hiſtoricum omnino carere doctisſime vir affirmarim, nec tamen quemadmodum in oratione ſummam in his ipſis hiſtoriæ poſitam eſſe crediderim, quod ſanè contra in oratione ſentio, cuius ſummam argumentis conſtare liquere mihi ſatis exiſtimo, quod quidem (ſi modo audiendus eſt Ariſtoteles) patebit omnibus, ait enim philoſophorum, rhetorumq́; maximus cauſarum corpus probationibus confici, corpus autem probationum prædicat entimema, quod ſecus habet hiſtoria vnde veri petitur ſimplex, puraq́; narratio, non factum nè ſit quid, aut quo iure ſit factum diſputatur, & quoniam me prouocaſti hunc quoq; locum, ut cætera carptim attingam.

Breuis argumentorum explicatio.

ARGVMENTORVM duo conſtat eſſe genera, altera quidem petuntur ab arte, altera ſunt artis expertia, quæ tamen (ut mihi videtur) cum ad rem, de qua agitur pertineant inde petenda videntur, ſed quoniam nõ arte parantur, ſed petuntur extrinſecus, arte merito vacare dicuntur. his igitur argumentis, quæ comparantur arte hiſtoria non vtitur niſi in cõcione aliqua deliberatiua, vel certè ſuaſiua, nam cũ in omnibus generibus, quod inter clariſſimos cõſtat authores, ſint idem ſtatus, eiſdẽ ex locis venabimur argumenta.

argumenta. In orationibus igitur quæ miſcebuntur historiæ, nihil vetat artificioſis argumentis vti; in hiſtoria nihil eſt opus, niſi forte vtamur exēplo, quod quidem non tam argumenti vim habebit (ut quibuſdam placet) quam figuræ. Ego confirmare potius, & declarare, quam probare cenſeo, non quod hiſtorica exempla vim probandi non habeant, quibus & oratores, & philoſophos probationum nomine vti plerumq; video. ſed nunc de hiſtoria loquimur, quæ exempla ſumit magis vt confirmet aliquid, quam vt probet. his autem argumentis, quæ diximus arte carere vtitur hiſtoria crebro, ſumuntur hæc autem ab authoritate. vtitur verò cum factum aliquid, vel non factum oſtendit potuiſſe, vel non potuiſſe fieri, & in poſterum quoque ſermonem trahit quid euenturum ſit ſi hoc ſtatu gubernetur Reſp. Illud etiam quæritur, & in vtrāq; partem argumentis exagitatur quid fuerit, aut non fuerit futurum. qua in argumētatione εἰκότα plerumq; ponuntur, quæ ſunt veriſimilia Ciceroni; ſed cum hæc omnia (vt dicebam) ad cōiecturam referantur, quæ argumentis nititur extra re pertis, paru͂ erit negotii hiſtoriam ſcribēti cum artificioſis argumentationibus. Illud profectò tenebo ἐπιχειρήματα, cæteraq; ratiocinandi genera hiſtorico cognita eſſe oportere, tum propter orationes, tum etiam quod ab oratore nō ſeparo (quod initio mihi

dictum

dictum est) opificem, conscriptoremq; historiæ. Ipsa verò expertia artis argumenta leuius, grauiusq; sunt tractanda, ut res ipsa, causaq; poscere, ac desiderare uidebitur. quæ cognitio prudentiam desiderat, scriptorisq; iudicium, vt argumentorũ habere delectũ posit. pugnat Dion nescio quis, contra famam, & multo confirmatam tempore, & plurimorum authoritate roboratam, contendit victam Græciam, uicisse Troianos, intelligit veterator difficilem a se causam susceptam, authoritate fulcitur Homeri, conaturq; illum ipsum Poetam, vnde captæ Troiæ nobilitata sit fama aliud sensisse, Græcorumq; ignominiã ocultasse cõsulto. Hunc nisi ab ipso subsidium mutaretur Homero omnes sanè riderent, siquis autem contenderit argumẽtis etiam quæ nobis largiuntur artes vtendum historico fore, non repugnabo, ipsa se tamen veritas sua sponte patefaciet. Nunc illud, quod exciderat, dicam nõ paruum scriptori nostro subesse laborem cum in eum locum deuenire contingit, vbi variãt authores, opinionibusq; certatur. Nam si omnes narrare voluerit in eum sæpe recidet scrupulum, ut nullum inueniat finem. si prætererit nesciisse credetur, plurimumq; amiserit authoritatis, Medium igitur teneat oportet, ut & celeberima dicat, & quasi per transenam (ut dicitur) capitibus, sumisq; expositis absoluat, sic & historiæ satisfaciet, &

retinebit

retinebit authoritatem. Illud quidem animaduertisse vos arbitror aliud me probare, aliud confirmare pronunciasse. Cõfirmatio sanè genus probationis videtur, & in hanc sententiã consueuit vsurpari. Ego verò leuiorẽ probationẽ cõfirmationẽ vocaui intelligens historiam leui potius opinione, quàm argumẽtis demonstrantibus niti. Sed locus admonet, vt de confirmatione, & illi finitima confutatione paucis agamus. Tum audientium quidam tractus inquit rerum, sermonumq; natura vel inuitus nobis gratificaberis. ego verò quasi ea res nihil ad me pertinuisset dicere perrexi. Confirmat orator quidem vel cum ea, quæ narrauit argumentis asseuerat, atq; munit, vel cum siquidem narratio nõ subsit quæ proposuit, vel quæ suadere conatur rationum robore probat, cui videndum est nè vel minimum relinquat in audientis animo dubium. etenim quicquid relictum fuerit locum aduersarii vel rationibus dabit, vel calũniis. Confutat autem orator cum alterius partis argumẽta reprobat, efficitq; ut auditor intelligat nullã penitus vim habuisse. At historicus neq; tanta cõfligit arte, neq; collato Marte contendit. quare non temere leuem quandam vel persuasionem, uel opinionem historicam nuncupauimus confirmationẽ, nam & abest aduersarius nec de vita, aut fama, fortunisúe contenditur. Sed iam vos meas ineptias audiẽ

do

do fessos arbitror; fuerit igitur operæprecium ante me facere finem quã a vobis deserar, atq; relinquar. Tum nescio quis, nam vocem hominis, nec audisse me quidem antea memini; scis inquit discessu interdictum esse tibi priusquam absolueris omnia, & ego sanè perlibenter, quæ a te dicta sunt accepi, & multa explicata non nego, & scitu quidem digna: suspicor tamen desse nescio quid, quod explicare non sanè valeo, id vt expedias quicquid sit, nobisq; explanes quæsumus. huic homini respondere parabam, cum alter fidenter satis ait. duo sunt tibi prætermissa, nã cum historiam narratione maximè constare dixeris, vis, naturaq; narrationis tibi fuerat explananda, vt si plura narrãdi genera forent, a cæteris historicum secerneremus, sin vnicum sciremus illud cuiusmodi esset. Secundo loco imitationem vtilem historico proposuisti, quam fugax laboris omnino dimisisti. nunc igitur accingere, tibiq; persuade hinc te non ante discessurum, quam abiecta segnitie nobis penitus morem gesseris. Hæc ille. ego vero nutare cœpi, vtriq; respondere cupiens, nec ab vtro potissimũ inciperẽ satis mihi cõstabat. Accedebat illud, quòd obtẽperãdum mihi videbam, & optabam euadere; itaq; subitum consilium in arena ex tempore cœpi, prioreq; relicto ad alterum me verti. Non putabam inquam amice ad clepsydram mihi hodie dicendum esse, nõ

enim

commiſiſſem me vt inſimulares pigritiæ, ſed quoniã nec mei iuris hodie ſum, neq; arbitrii obſequar, & quæ petuntur abſoluam, dicamq; de narratione primum.

NARRATIONEM quàm διήγησιν Græci vocant fiiri non poſſe puto, eſt enim multiplex, quòd cum accidit diuidendum prius, quam definiendum præcipiunt, ego tamen non ante partiar quàm quæ omnium narrationum opinor eſſe communia paucis ex poſuero. Volunt igitur qui diligentius iſthæc perſequuntur breuem, dilucidam, veriſimilem, moratã, cum dignitate narrationem eſſe. Breuem appello, cui nihil deſit, nil ſuperſit. Breuitas autem tribus ſpectatur temporibus, principio, medio, fine. nam nec ab ouo (vt aiunt) gemino decet incipere, ſed vnde neceſſe eſt, & ex medio reſecanda ſunt omnia, quæ quamuis in re ſint poſita ad id tamen ipſum, quod narratur non pertinent, neq; ad extremum perueniendum eſt, ſed ibi potisſimum finiendum, vbi quãtum neceſſe ſit explicuerimus. Dilucida verò tum fit narratio, cum rerũ ſeruatur ordo, vt quid primũ, quid deinde geſtum ſit intelligatur. res rebus, tempora temporibus, perſonis hereant perſonæ; nihil dicatur ambiguè, nihil contortè. In veriſimili narratione id modo quæritur vt fieri videatur potuiſſe, quod factum eſſe narretur: ſunt enim multa, quæ ve

ra ſint licet, nec vẽdibilia tamẽ ſunt, nec plauſibilia; non.n. facilè cadit in hominũ animos effici ea potuiſſe vel tũc, vel eo loco, vel ab his, vel eo pacto, quo facta dicãtur; quare Poetæ cũ ea narrent, quæ ſentiãt incredibilia, Deorũ authoritate nituntur; quãdo inſitũ omnibus in animo putãt Deos omnia poſſe, nil nõ licere ſuperis. Morata verò narratio & dicenti, ſcribẽtiúe gratiam, authoritatẽq; conciliat, & audientes, legenteſúe non alienat. Certè dignitatem narratio poſtulat: non.n. mimicam petimus narrationem, ſed cum grauitate conditam, tum exornatam ſententiis, verbisq; decoram, quamq; non reſpuat ſeueri Catonis dignitas, nec ſe dedecere putet Xenocrates. Illud intelligendum eſt, moratam narrationem non poſſe dignitate carere: poteſt autem eſſe magis, minuſúe grauis, hæc quidem in tota oratiõe, hiſtoriaúe ſeruãda videntur. Putant oratores tamen hoc ipſum ad narrationem maximè pertinere; verum hæc omnia ab oratoriis petantur præceptis, quorũ intereſt hæc accuratius docere. Mihi ſatis eſt monſtraſſe loca; venio iam ad partitionem narrationum, quam ſum pollicitus me traditurum, vel potius ad diuiſiones (ſunt enim plures.) Eſt igitur prima diuiſio, quædam veræ quædam fabuloſæ narrari; quot autem fabularum ſunt genera, totidem fabuloſarum ſunt narrationũ, in quibus ſi modo præexercitamẽta quæ vocantur,

Priſciano

Prisciano sunt authori tribuenda, adolescentes apud veteres exerceri primū solebant, ut ad maiores exercitationes præpararētur; cuius exercitii duplex erat ratio: aut enim fabula nuda narrabatur, aut ficta inducebatur persona narrātis, quam προσωποποιΐαν nomine appellabant Græco. omnis autem ficta persona prosopopeia est, de veris mox narrationibus sequitur altera partitio, aut rerum enim narratio est, aut personarum, tametsi huius diuisionis membra vix alterum ab altero separari posse videntur, quoniam verò seorsum animus capere potest, nō erit alienum seiungere. In rebus ea considerantur omnia, quæ verisimili tributa sunt narrationi: Personarum narratio ab animo, corpore, externisq; sumitur: itaq; & virtutes exponuntur, & vitia, & quæ in corpore bona, malaúe perspici solent, & præter ea, quæ sorte bona; malaúe obtigerunt, euentorum etiā habetur ratio, quæ læta, tristiaúe, prospera, vel aduersa ceciderint: omnia deniq; referuntur, quæ vestigare in homine consueuimus. Fuerint igitur diuisiones istæ quasi prælu dia quædam, & præsultationes, præcursionesq́; pugnantium; iam conserenda manus est, pesq́; (vt dicitur) pede terendus. Narrationū enim poeticæ quædam sunt, oratoriæ nonnullæ, historicæ quidē aliæ, quas idcirco ponimus, quoniam semouendas censemus ab historica narratione. nam licet non inficie-

mur. Hiſtoricas oratorias eſſe narrationes. dabunt tamen opinor omnes non eadem ratione in forenſibus cauſis, atq; in hiſtoria narrari. ſeponenda ſunt igitur narrationum genera, nec ſane' ſeiungendi facultas erit niſi cognoſcantur. nam & poetica quam ſimillima videtur hiſtoricæ, cauẽdum eſt igitur nè ſimilitudine decipiamur. Poetica igitur narratio in tria diducitur genera. eſt enim comica alia, altera tragica, tertia quam Græco nomine dicimus Εποποιΐαν ſingulas igitur explicemus ſeorſum, a comica incipientes, quam conſentaneum eſt leuiorem eſſe, ut & perſonarum decor ſeruetur, & rerum. ſunt enim patres familias media de plebe, qui in comœdiis aguntur. itaq; Soccus comicus eſt non cothurnus, quare vetat Horatius Deum comœdiis intereſſe niſi (ut ipſe ait) dignus inciderit vindice nodus. & Plautus diligẽter obſeruat, qui amphitrionis fabulam quoniam perſona inducitur Imperatoris, numinumq; duorum Mercurii ſcilicet, atq; Iouis tragicam comœdiam & eſſe voluit, & vocauit. ſocco videlicet cothurnoq; dixtinctã, quã præceptionem neſcio an negligentius ſeruauerint Græci; nam inanimatis in comœdia miraculum aſtruens, ſermonem tribuit Ariſtophanes. iã ranis datos etiã choros in comœdia cernimus, ſicut & nebulis apud eundẽ Poetam, ſed Plautum quidẽ, quem opum Deum rudis exiſtimauit vetuſtas, comi

co

co videmus ſtylo ab eodem Ariſtophane deformatum. illud apud noſtros vſu veniſſe conſtat, ut prologis comœdiarum miſcerent diuos. Apud Plautum enim. Rudentis prologum agit Arturus, Lar aulula-riæ. Sed hæc diſputatio eius eſt, qui poetica præcepta tradere profitetur, nos aliam iniuimus rationem: reuertamur igitur eò, unde digreſsi ſumus, dicamusq́; comicam narrationem accomodandam eſſe fabulæ, vt illa. Nam is poſt quam exceſsit ex ephebis Soſia. & illa Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi. Accidit plerũq́; vt in eadẽ comœdia ſæpius narretur, ut in Eunucho apud Terẽt. Phedriæ narrat Thais de puella ſorore credita, quæ Athenas adducta eſſet Cherea ſodali, quo maximè pacto viciaſſet virginẽ, & ſi quæ ſunt in eadem præterea narratiões comœdia. Habet illud præterea Comica narratio, quod cum Tragica eſt illi cõmune, ut frequenter interpelletur, quod pulchriorem eã facit narrationẽ, vt apud Terentium, dicẽti ſeni, quod pleriq́; omnes faciunt adoleſcentuli, vt animum ad aliquod ſtudiũ adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos, nihil horum ille egregie præter cætera faciebat, & tamen omnia hæc mediocriter gaudebam. Reſpondet ſeruus Non iniuria. nãq́; hoc arbitror in uita apprimè eſſe vtile, vt nequid nimis. totam qui legerit narrationem interpellatam ſerui

responsis intelliget. fiunt autẽ aliquando & μονολόγια quædam, in quibus narratur aliquid nulla interpellatione, quia loquitur vnus, vel suas narrans miserias, vel genus, vel prosperã, adulantemq; fortunam, vel quo potissimũ tẽpore amare cœperit, vel quid in amore boni sit, vel mali consequutus, vicia aliquando sua, vt apud Plautum in Trinumo. Tollit etiam plerumq; comœdia vocem, narrandoq; proximè ad oratorium accedit candorem, atq; adeò ad iudicialem seueritatem, vt est apud Aristophanem in Tesmophoriis, quod eò videtur insigne magis, digniusq; animaduersione, quòd persona mulieris inducitur; exemplum libuit apponere nostris latinisq; verbis, adiecto Græco principio, vt studiosi facilius & inueniant, & perlegant. mulier igitur inducitur Euripidem accusans Poetam, in hanc maxime (ut opinor) sententiam. Nulla ego quidem ambitione mulieres ad dicendum surrexi potissimum; sed quod miserè doleo, excruciorq; mente, nos iampridem ab olitricis filio cernens omnibus contumeliis Euripide vexari; qui tragœdias spectãte populo, inq; Theatrum coacto, in nos inuehitur acerrimè, ebrias, mœchas, mẽdaces, fideifragas appellans; virorum perniciem mulieres esse dicens. itaq; sic nostris persuadet viris, ut redeuntes domos nullum non lustrent angulum exploraturi adulter nè occultetur alicubi.

cubi. Iam nè coronam quidem texere licet obiicientibus adulterii ſuſpitiones coniugibus: ſi vero vas vnguentarium exciderit hoſpiti corinthio, clamitant fuiſſe paratum; quid? iam ſi Diis placet nè colorem mutare licebit: nam ſi puella languidula, pallidulaúe fiat, eum ſibi colorem ſuſpitioſus frater minime placere conclamat. ſterilis verò ſupponat mihi nũc obſecro puellum, partumúe fingat? nõ vtiq; poterit, aſſidet enim diligẽtius maritus, exploratq; partus. & quidem ducebant olim puellas ſenes, nunc verò ab Euripide perſuaſi non ducunt, qui minimè tutum ſenis cubiculum inquit adoleſcentula vxore. & cũ hæc omnia mala nobis intulit, tum domeſticum abſtulit imperium. etenim penu cuſtodiunt viri, nec farinæ, olei, vini promẽdi reliqua nobis eſt facultas, nec amatoribus ſanè aperire poſſumus, obſignãtibus omnia uiris exiguis admodum clauibus Spartano more cõfectis, tribus compactis clauulis, ſigilliſq; paruis admodum, quæ tineas corroſiſſe dicas. Hunc hominem vlciſcendum, puniendumq; cenſeo, ac demedio vel veneno, vel quauis arte tollendum. Plura mihi dicenda fuerant, quæ cum venerit ſcriba literis comittenda curabo. Huiuſce narrationis Græcum hoc principium eſt.

φιλο ιμία μὲν ὀδλεμία μὰ τὼ θεὼ vſq;
τὰ δ' ἄλλα μετὰ τῆς γραμματέως συγγράψομαι

Quid

Quid potuit in iudicio accuratius? nec dubito fore quoſdam, qui enumerationem non narrationem hanc putent appellandam. ego verò enumerata quæ ab Euripide paterentur mala mulieres non inficior: narratum tamen cõtendo, admonet enim mulieres, ac docet quod proprium eſt narrationis, neq; aut lege, aut natura vetitum eſt quo minus & narretur ſimul, & enumeretur; ſint licet enumerationes nihil omnino narrantes, cuiuſmodi ſunt quibus in perorãdo vtuntur ſæpenumero Rhetores. ergo tollit plerumq; vocem comœdia, & iuxta Flacci ſentẽtiam iratus Cremes tumido delitigat ore. hæc autem narratio, cuius exemplum appoſitum eſt ad deliberationem ſpectare videtur, non enim vim iudicandi mulieres habebant, ſed tamen (ut dicebam) ad iudiciariam grauitatem accedit, indignationis ſeminibus paſsim per omnia iactis. Nũc niſi quid videtur aliud comicis contrectatis ad tragicos eſt accedendum.

Cum omnes in eodem perſtarent ſilentio, eademq; vt mihi videbantur attentione, quaſi nouum nactus principiũ ſic dicere pergo. Tragœdiæ grauitas, cothurniq; maieſtas cum cætera ſibi poſtulat accõmodata, tum maximè narrationes, quare ſiqua præcepta dari poſſunt a Poeta ſunt mutuanda tragico. illud certè prætermittendum non eſt. nullum certum narrandi locum propriumq; eſſe tragico, variasq; diſperſas

ſperſas eſſe per omnem ferme tragœdiam narrationes.narrat Iouis Sacerdos apud Sophoclem in œdippo tyranno Thebanam ruinam,& peſtē.narrat in Antigone tragœdia ſatelles ſepultum fuiſſe Polinicem. Narrat nuncius Hæmonis,atq; Antigones cedē, narratur mors etiam reginæ. ſunt autem breues admodum narrationes, atq; interpellatæ nōnunquam vel a choro,vel ab aliqua perſona, quam inducat Poeta. nec de tragica quidem narratione habeo plura quæ dicam.trāſibimus igitur ad ἐποποιΐαν ſi primum vos monuerimus longiuſculas plerumq; narrationes accipere tragœdiam,cū cauſæ rerum exponuntur; vt ſi Telamon,uel Peleus Phocæ mortē,ſuiq; exilii cauſas exponat. Aliquando quas quis ſit paſſus erumnas, quas miſerias enumerat, quæ narratio quidem eſt, quod genus cōmune eſt tragico, & ἐποποιῷ: ut mox oſtēdemus. ſed iam ad tertiam Poeticæ narrationis partem veniamus,quam diximus ἐποποιΐαν. Oportet autem illum appellare,ut Suidæ, pluribusq; Græcorum placet,qui fabulam hiſtoriæ miſceat, quem tragœdi admodum ſimilem eſſe conſtat: Nam & dignitas perſonarum, & rerum grauitas eadem, & iidem propè fines. Differt tamen, & genere carminis, & actione perſonarum, quæ habentur in tragœdia: Agnoſcit autem Ariſtoteles hanc non exiguam ſimilitudinem vbi de poetica diſputat. Plato ἐποποιοὺς nō

veros credit esse Poetas, cui sententiæ & Aristoteles, & M. Quintilianus, & probatissimi pleriq; suffraga ri videntur authores, quippe qui eos verè Poetas in telligunt, qui fabulantur. Ego certè, duo Ἐποποιῶν genera puto, alteros enim arbitror maximam vim in historia ponere, vt Lucanum, vt Sillium. Alteros in fabula vt Vergilium, atq; Homerum. Sed hæc nō nostræ sunt tractationis, ad poeticam enim facultatem spectare vidētur. posui tamen quoniam ad narrationem explicandam non inutile duxi. tum quidam de Lucano, & Sillio nihil sanè dubito: de Vergilio autē & Homero, quid sentias scire velim, curq; maximam eorum vim in fabulis esse dixeris. ad quem ego; licet dicentem interpellare non prosit, simq; iam dicendo fatigatus, tibi tamen moremgeram. Homerū igitur sunt qui dicant totam historiam peruertisse in queis Dion quidam est (de quo supra nobis est facta mentio, repetimus tamen hoc ipsum quæstione poscente, eritq; fortè hominis hoc loco sententia clarior,) qui falso captam Troiam peculiari libro conscripsit; is Helenam Tindaro volente patre, Castoreq;, ac Polluce assentientibus fratribus nubsisse Paridi tradit, vicisse Troiam, victos Græcos, icto fœdere abscesisse. hoc sentire flaccus etiam videtur altera prioris Epistola libri, vbi Paridis amorem, Helenæq; raptum canit esse fabulosum, quorum carminum su-

pra

pra meminimus, quanquam Flacci versus non satis
indicant nubserit ne Alexandro Helena an unquam
hominem viderit. Herodotus certè ad Troiam He-
lenam non accessisse quibusdam authoribus scriptũ
reliquit, patet igitur id, in quo maximè Homericum
poema nititur fabulosum esse. ergo peruersa est hi-
storia, totusq; fabulosus Homerus generis nomine
Poeta vocetur. sin aliquid ad historiam referendum
est, quoniam id plurimis obscuratur fabulis: nam &
ab hominibus vulneratur diui, & interesse pugnant,
ac dissident, amores etiam miscent, & adulteria,
Ἐποποιοῦ letetur nomine. Hæc ad Homerum. Vergi-
lium autem historiam contexisse fabulis ambigit cer
tè nemo. Totum enim quod ad Didonem attinet fa
bulosum est, fuit enim castissima mulier, mortemq;
sibi nè pollueretur consciuit. neq; Aeneam videre
potuit, ætate multo superiorem, ut cæteras fabulas
omnittam, quibus abundat Aeneis, sed de Poetis, de
quibus dubitatum erat, satis sit dictum. ad nostrum
redeamus opus. quæ cum dixissem. Alter cui obse-
scro Poetarum generi Parmenidem, Empedoclem:
interq; latinos Varronem, atq; Lucretium connume
rabimus, qui carminibus philosophati sunt? explica
quæso fessus sis licet. huic ego; Ἐποποιοῦσ eos dixero,
non tamen ea significatione, qua nobis supra nomen
tractatum est, sed Ἔτυμον sequutus vocabuli, quasi arti

fices, verſuumq; factores. ſed parcite iam nè videamur iuxta prouerbium omnia confundere legumina, atq; in unum aceruum, eundemq; redigere, ac ſi placet ſuſceptum opus perficiamus. Narratio igitur Ἐποποιία hiſtoricam admodum imitatur. nam & perpetua narratione vtuntur ambo, & miſcent integras orationes diuerſorum generum, præſertimq; concionales, ut cum apud Homerum deprecatur Apollinis Sacerdos Chryſes Atridas, cæteroſq; Græcos ut donis acceptis, chariſſimam ſibi filiam reſtituãt, quæ Græcè ſic incoatur.

Ἀτρείδαι τε, καὶ ἄλλο ἐϋκνήμιδες ἀχαιοὶ &c.

vel cum Neſtor placare nititur Achillem, atq; Agamemnonem in mutuam perniciem ſeuientes cuius eſt initium

Ὢ πόποι ἢ μέγα πένθος ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει &c.

præterea variant narrationes, nouas inducentes perſonas vt Glaucus apud Homerum ſuum genus Diomedi narrat hoc videlicet principio

Ἐστὶ πόλις ἐφύρη μυχῷ ἄργεος ἱπποβότοιο &c.

vel cũ Vlyſſes ſuos caſus ab Antinoo a Pheacum Rege rogatus exponit, quæ narratio integros conſumit libros ſumpto a ι. ſiue nono in hunc modũ principio

εἴμ᾽ ὀδυσ εὺς λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν &c.

longum eſſet huiuſmodi omnes perſequi narrationes; illud eſt tamen intelligendum, cauſas aliquando narrari, res nõnunquã. narrat cauſas Vergilius in ipſo

ſo Aeneidos primi libri veſtibulo, Iunonis iras exponens his verſibus.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,

& quæ ſequntur. res autem narrare agreditur ibi.

Vix è conſpectu ſiculæ telluris in altum

cum reliquis. orationibus quoq; vtitur ut cũ Aeneas ſocios cõſolatur ad Africæ littus deuectus inquiens

O ſocii (neq; enim ignari ſumus ante malorum)

quæq; ſequuntur, & cum Ilioneus Didonem exorare nititur his orationis captis auſpiciis.

O Regina, nouam cui condere Iupiter urbem,
Iuſtitiaq; dedit gentes frenare ſuperbas,

vel idem Ilioneus cum apud latinum ſui Regis exponit mandata Aeneidos ſeptimo hinc exordio maximè ſumpto.

Rex genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra ſubegit hyems ueſtris ſuccedere terris
Nec ſydus regione uiæ, littuſúe fefellit. &c.

longam etiam narrationem inſtar Homeri, latinus molitur Poeta. inducit enim Aeneam roganti obtẽperaturum Didoni, & Ilii ruinam, excidiumq; narraſſe, & ſuæ caſus nauigationis, quæ cum altero libro incipiatur, finitur tertio eſt autem principium.

Incipiam. Fracti bello, fatisq; repulſi
Ductores danaum tot iam labentibus annis, &c.

in ipſa etiam narratione inducitur noua perſona vt apud

apud Virgilium volumine tertio Græcus Achemenides, qui narrare sic occipit.

Sum patria ex Ithaca comes infœlicis Vlyßi
Nomine Achemenides Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissetq; utinam fortuna) profectus &c.

vna cum cæteris. hæc fermè sunt versificatoriæ (vt ita dixerim) narrationis genera pariter, & exempla, quid igitur inter Ἐποποιὸν, atq; historicum interest? quod carminibus nẽpe non alligatur historicus, sed (ut meminimus in superioribus) latioribus vtitur numeris, ac liberioribus. adde quod historicus vera (si modo historicus ẽ) perpetuo narrat. falsis vera inuoluit Ἐποποιὸς; atq; historicus & ordinẽ rerum, & orationẽ sequitur: nõ cogitur Ἐποποιὸς poematis suauitati cõsulens, atq; ornamento. accedit etiam quod veris nititur exẽplis historicus: plerumq; fictis Ἐποποιὸς; ac de narratione in vniuersum poetica pro temporis breuitate sit dictum. sequitur oratoria, de qua eò breuior nobis futurus est sermo, quòd supra dicta plura fuerunt, quòdq; præcepta ab oratoriis petenda sunt libris, artibusq; rhetorum. sed tamen dicamus eam in iudiciali genere maximè versari, nam de liberatiuum, atq; demonstratiuum raris narrationibus asperguntur. nam & qui laudat breuiter quod laudat exponit: & qui deliberat non degestis, sed de futuris consilium capit. accidit tamen narrare laudatorem,

torem diffusius rem gestam exponentem, quod contingit in funebribus maximè, quæ sunt quasi vitæ eius, qui laudatur narrationes, quemadmodum Isocratis Euagoras. Deliberator etiam narrare potest, cũ ex aliqua re gesta quid sit futurum conatur ostendere. propria tamen iudicialis generis est narratio. nec tamẽ in omnibus causis quæ iniudicium veniũt narrandum est, cum enim de facto constat, totusq; cõflictus in iure versatur, nihil erit opus narratione, nisi fortè nõ eodem modo factum reus, accusatorq; contendet. solent tamen ea etiam narrari, quæ aperta sunt, atq; cognita vel augendi, vel minuendi gratia, quod si verum est, non erit narrationis finis in huiusmodi causis semper docere iudicem: licet huius rei causa inuenta narratio videatur. Illud etiam aiũt, qui hæc subtilius examinant, narrationem consulto prætermittendam si vel obsit, vel certè non prosit. Adiicitur etiam illud, argumentorum semina, quibus causam oporteat confirmari per narrationem vniuersam serenda videri. Illud vero diligentius præcipiunt, ut tempus, locusq; narrandi accurratius cõsideretur. etenim re paucis exposita; immò verò proposita, narratiõe supersedet accusator. Reus etiã non narrat cum ab accusatore narratum est, ut inficiari non possit, narrat vterq; cum confligunt interse narrationes. Sunt qui dicant propositionẽ antepo-

nendam

nendam narrationi, quæ ſæpe poſtponitur vt Cicero pro Milone, pluribusq; in locis; ſæpe nulla ponitur. Nec ſemper exordium narratio conſequitur, cum ipſius cauſæ neceſsitas aut confirmare prius cogit, aut confutare, quod Cicero in Milonis illa defenſione diuina planè teſtatur. niſi enim oſtendiſſet defendi licere eum, qui hominem ab ſe fateretur occiſum, niſi indicaſſet nullum ſenatus præiudicium contra Milonem eſſe factum, niſi aperuiſſet arma Pompei ſalutaria potius Miloni, quàm aduerſa fuiſſe comparata, Iudicibusq; potius abſoluendi, quam condemnandi datam eſſe tabellam, vel certè liberam iudicandi facultatem, fruſtra ſanè narraſſet. quod confutationis genus M. Quintilianus procœmio exiſtimat adiungẽdũ, ſed ſatis iam ſatis, oratoriã vexauimus narrationẽ, ad hiſtoricã, quæ iam pridem nos ad ſe vocat trãſeamus, quã quidẽ nõ propterea ſeparauimus ab oratoria, quod oratoria non ſit, cũ hiſtoricum ſupra nõ oratorẽ ſolũ, ſed magnum etiã oratorem ſæpe poſuerimus. Sed quòd intereſſe putamus aliquid inter forenſem, hiſtoricamq; narrationes. id .n. ſolũ reſpicit forenſis, cuius patrociniũ ſuſcepit. equũ, bonum, iuſtũ, iniuſtũ maximè curat, & fortè quod apparet potius quã quod exiſtit, ſubtilitati diſputationis vim quãdam vehementẽ adiungit. hiſtorici finis nec laus eſt, nec vituperatio, nec vtilitas, nec capitis ac fortu

narum

narum defenſio, vel accuſatio contra: ſed rei geſtæ, quemadmodum geſta ſit explicatio. laudat ille quidem, vel certè vituperat aliquando, deliberat etiã nonnunquam. ſed hoc non quòd ſui muneris ſit, ſed quòd ita cauſa poſtulat, videtur efficere, vel per trã ſitionem vitandæ moleſtiæ cauſa, vel declarandorũ conſiliorum gratia, vel quòd res geſta facilius exponatur, ſi conſiliorũ rationes, laudeſúe, aut vituperationes inſerantur. Eſt tamẽ hiſtorica narratio forẽſis admodũ ſimilis, nec diſſimilis (ut vidimus) ἐποποιΐας. verũ quid præcipiã? omnia ſupra videntur abſoluta. referam tamen aliquid, vel repetã potius ſuperiora quò magis hæreant. Nolo igitur ſcriptorem eum, quo de nobis eſt ſermo, minima quæq; conſectari; quo loco meritò Timæum à Plutarcho reprehẽſum puto. ad hæc ſunt quædam, quæ ſi modeſtè tracten tur, non tãtum ornant hiſtoriam, ſed & magnopere conferunt, vt quæ ad religionem pertinent explicata maximè conducunt, quemadmodum videlicet, quantoq; ſtudio gentes, populi, nationes, reges colere numina conſueuerint: quantum tribuere ſacris, quæ auſpicia, diuinandiq; genera vel ſuſceperint, vel repudiarint. nimietatem video fugiendam, quæ faſtidium parere ſolet. itaq; noſter reprehenditur Liuius a quibuſdam, quòd in prodigiis enarrandis, prodigiorũq; procurationibus nimius fuiſſe iudicatur.

ſed hæc defendi forſitan poterunt Liuiana: non eſt tamen hic locus. iminet.n. ſcrupuloſior præceptio, difficultatisq; pleniſsima. ſunt enim qui præcipiant vt ſatietas fugiatur, elocutionem crebro mutare, nã vt illud miſſum faciam, valdè arduum mihi videri a graui ad mediocrem, a mediocri ad humilem dicendi rationem deſcendere, vt taceam finitima vitia, quæ ni diligentius caueris, aut tumebis penitus, aut ipſo areſces ieiunio. iuris noſtri nõ eſt quoties libeat aliter, atq; aliter eloqui, rebus enim verba cedunt, ſuntq; accõmodãda; quare nec leuia graui, nec grauia leui, nec infima vtrolibet ſuperiorum generum tractabuntur. placet itaq; orationem varietate delectare, ſeruato tamẽ decore, de quo ſuo tempore pronunciatum eſt. Nec illud ſilebo, dandam operam eſſe, vnum ut corpus totius hiſtoriæ fiat, cohereant interſe partes, membrorum corporis inſtar. Itaq; variam, atq; multiplicem hiſtoriam partiendam exiſtimo, quoniam coniungi, atq; vniri nequit. vt alia ſit Macedonici belli, alia Aſiatici, alia narratio Piratici, quam rem dum Græcorum, Latinorumq; ſcriptorum quidam uehementius exagerant, in maximum incidere vitium, arctè ſcilicet nimium, conciſeq; ſcribendi, in quibus ex noſtris, & Lutius Florus connumeratur, & Velleius paterculus, quos ego hiſtoricos ne dixerim, quippe qui ſummas rerum & capita

pita congerunt, & quasi epitoma conſcribunt. qui licet glorientur nudam ab ſe hiſtoriam tradi, animaduertant tamen peccare ſe, non enim ſola rei geſtæ traditione conſtat hiſtoria, ſed cauſarum, morū, conſiliorum, temporum, locorum, perſonarum explanatione, quæ adeò nudæ exprimi ſanè non poſſunt, ſed de omni narratiōe plura etiam, quàm opus fortaſſe fuerat dixiſſe me video; itaq; extremū quod propoſuerā præſtabo, & quæ de imitatione fuerint dicenda paucis abſoluam.

Quæ ſit imitandi ratio.

Fvisse quoſdam accepimus, qui nullam omnino admitterent imitationem, tantumq́; ſtatuerent conandum, quantum quis natura, ingenioq́; conſequi poſſe ſperaret. Diffidit inquiunt naturæ, qui hominem potius, quam optimam rerum omnium opificem ſequitur, quæ hominum malignitas eſt, atq; ſuperbia; exerceantur igitur ingenia, excolanturq́; diligentius, cætera natura ſine alicuius imitatione præſtabit, rationi authoritatem adiiciunt; aiunt enim Horatium clarisſimum vatem diuinitus eloquutū, imitatores pecora ſeruiētia vocare, itaq; penitus imitationem de medio tollunt, ſuiſq́; caſtris exulare iubent, nec animaduertunt plurimas ſe, atq; optimas artes repudiare. num non imitatur qui pingit? qui ære, qui marmore, quiúe cera excudit? non nè vni

uersa poesis imitatio quædam est, pictura scilicet lo quẽs? iam Geometriam disciplinarum omnium per fectissimam omniaq; Mathematica cogũtur explode re, necesse enim est aut μάθησιν imitari naturam, aut naturã ab ipsa sciẽtia, disciplinaúe mutuari; altero ni- hil ẽ verius, altero nihil alienius formauit natura cer tis figuris corpora, quam imitati prudentissimi viri eas ipsas ab omni corpore seiunctas, ac separatas sola mente, solo contemplantur animo. quid de Musica dicam? concentum enim cœlestem imitati homines præstantissimi summis ingeniis præditi, neruisq;, & vocibus aptantes, Musicam disciplinam confecere. sed longum admodum erit omnes recensere, vel ar tes, vel facultates, quæ vel sola, vel maxima ex parte constant imitatione. at iniuriam naturæ facis, cum ei diffidas; immo tu maximam cum naturæ præstantis simum opus inane fore contendis. nihil enim inge- nio præstantius tributum est homini, nihil in quo na tura magis elaborarit, quæ si loqui posset hosce ho- mines grauissimè reprehenderet, diceretq; nihil a se frustra factũ fuisse. ingenium verò eo consilio tribu- tum homini vt meditaretur, seq; quàm proximè ef- ferret ad superos, imitaretur gesta parẽtum, atq; mul torũ succurreret imbecillitati, citaret vtiq; testem Deum illum mũdi cõditorem apud Timæum Diis, quos creauerat præcipientem, ut quemadmodum

ipsum

ipſum facientem vidiſſent, & ipſi facerent. Quid aliud eſt imitari? ſed in re notisſima nimium me fuiſſe confiteor. nam quod ad Horatium ſpectat nihil gloriabundo Poetæ reſpondendũ arbitror cum negare præſertim non poſsit, ſe Alceum, Pindarum, Archilocum, cæteroſq; Lyricos imitatũ. quid enim aliud effecit, quàm vt latine redderet ea carminum genera, quæ Græcè illi priores inuenerant, quibusq; fuerãt vel vſi, vel delectati? Sed hos miſſos faciamus, qui more gigantum contra Deos pugnant, dum omni ope veritati repugnant. eſt alterum in imitatione vitium, non ſanè leue; quidam enim eos tantum putant imitandos, ad quos ipſi poſſunt aſpirare. Lyſias mihi placet, Thucydidem probo, hi ſoli ſunt Attici. Barbarus ſanè fueris, ſi alios imitaberis, & ex noſtris Florũ quidam, aut Tacitum Saluſtio, Liuioq; præponunt, & Ciceroni ſunt qui audeant anteferre Pliniũ, de quibus nihil ego dicam; ſint ſanè ſua ieiunitate contenti, nobis concedant, vt quod optimum ſit in vnoquoq; genere, id potisſimum imitemur. admonitos volui vos, nè in fraudem adduceremini, audiẽtes vel eorum diſputationes, qui nullam imitationẽ accipiunt, vel eorum, qui eos imitantur, a quibus infantiam potius, quàm eloquentiam percipiant. quanquam & Lyſiam, & Thucydidẽ imitandos eſſe non inficior, ſed in his duntaxat, in quibus aſſurgũt,

ſeſeq;

ſeſeq́; efferunt, vel in ſuo certè genere: ea tamen lege ut mihi liceat, quæ cognouero meliora probare, ſed iam ad imitationis venio præceptiones. Voco autem imitationem diligentem rationem, qua ſtudioſè curamus vt in ea re, qua de agitur, ſimiles alicuius efficiamur. huius rationis ſeptē ſunt præcepta (niſi fallor) quorum ſit primum, dandam eſſe operā vt optimum quemq; nobis imitandum proponamus, quem delectum non tàm ex noſtro iudicio fieri volo, quàm ex doctisſimorum, probatisſimorūq́; ſentētia, placet enim Topicum illud Ariſtoteleum, quod optimis, quodq́; peritisſimis videatur. nā ego quidem mihi perſuadeo cum optimis erarre ſacius eſſe, quàm vel mihi auram vēdicare iudicii, vel cum rudibus, atq; imperitis benè ſentire, libentiusq́; erra uerim cū Platone, quàm rectè ſenſero cum Epicuro. Secundū hoc eſto præceptū, quoniā homines ſumus errareq́;, ac falli poſſumus, intuendas accuratius eſſe virtutes, conſideranda vitia: alteras vt ſequamur, fugiamus altera. Sunt enim quidam, qui cum aliquē ſuſceperint imitandum, abſque vllo diſcrimine, & mala, & bona ſectantur. ſunt etiam peruerſi magis, atq; præpoſteri qui virtutes quidem deſerūt, ſiquid eſt vitioſi, id quaſi dedita opera aucupantes ſequuntur. Tertium autem erit eos potisſimum imitandos eſſe, qui in eo verſentur genere, in quo & ipſe

verſatur

versatur imitator, nè forte dum aliud genus tractantes assequi nititur rei non satisfaciat, quam susceperit, non enim omnia omnium sunt generum. Itaq; Poetam potissimum imitabitur Poeta, historicum historicus, oratorem orator. sunt tamen multa, quæ ex aliis generibus mutuari possis, inq; tuam optare supellectilem, quæ negligenda non sunt, sed auidè conquirenda, conferendaq; in vsum, nihil enim impedit, quo minus a forensi dictione accipiat historicus aliqua, quædam sibi ab historia sumat orator, sed adhibenda cautio est, ut ea quæ aliunde capiuntur locis, temporibus, personis, dictionibus accõmodentur, ut modus adhibeatur nè decipiamur specie recti, est enim magnæ cuiusdam scientiæ, singularisq; animi scire quando, quomodo, quatenus vnaquaq; re sit vtendum. Quartum accipite documentum: cauendum est magnopere nè dum imitari aliquem cupis, te ipsum adeò coarctes, vt nullum tibi relinquas locum, vt regredi possis, & ut ait Horatius.

Unde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex

in quo liberior campus oratoribus est, atq; historicis, quàm Poetis, non enim tot astricti sunt legibus. omnibus tamen est cauendum, nè dum imitari singula quærunt, vel cõfundantur, vel corruant. Quintum iam ecce præceptum. Tria sunt quæ imitari solemus

lemus materiam, verba, elocutionem. verba dico nos imitari cum vocabula singula, quibus aliquem vsum esse cognouimus, nos quoq; in nostram trãsse rimus orationem. elocutionem verò, cum periodos, contextumq; orationis imitamur. verborum igitur, atq; elocutionis imitatio simplex est, in qua id est vidẽdum, ut aptè cohæreat, quod imitamur, & nostrum esse videatur, ita sit appositè constitutũ. Ad elocutionem quoq; referri potest sententiarum imitatio, quas frequenter a Terentio, aliisq; imitatur Cicero, vt cũ Vatinium defenderet vsus est Terentiana sententia, qua par pari referẽdum traditur, & alibi frequenter. Imitatio materiæ consideratior esse debet, videndum est enim vt alio modo tractetur, ut poliatur alio genere ornamentorum, ut demum his decoretur fucis, ut non videatur esse eadẽ. Flaccus hæc præcipit animaduertenda in hac ratione primum nè cõmunia vulgariaq; tractentur, nec verbum reddatur verbo Carmina sunt

Publica materies priuati iuris erit si

Nec circa uilem patulumùe moraberis orbem.

& quæ sequuntur, sed maior est labor cum tota materia sumitur, quàm cum pars aliqua. nam & partem nobis accõmodare licet, vt est apud Terentium in Andriæ procemio Quæ conuenere in Andriam ex Perinthia fatetur trãstulisse, atq; vsum pro suis. Hæc

tamen

tamen omnia experiendo, legendoq; docētur studiosi, cum quid quisq; sit imitatus, percipitur classicus author. Quæri hoc loco solet, an interpretatio sit imitatio quædam; & mihi quidem videtur pars quædam, imitationis esse, neq; aliud conatum puto Marcum Tullium philosophia conscribenda, quàm imitari Græcos, atq; experiri an latinè eadē dici possent ornatè. cū verò diuinas orationes Demosthenis, atq; Schinis περὶ στέφαν latine reddidit in Cthesiphōtis iudicio habitas, tentare voluit an eadem verborum, sententiarumq; Schemata, eadem dicendi vis, idē ardor, feruorq; animorum referri latinè posset. minus tamen laborat interpres ocultanda materia, magis autem conuersione linguarum. sextum verò præceptum est, cum non idem sit imitari omnino quod interpretari, sed aliqua tantum ex parte, curandum esse, ut discrimen inter nos, & eos, quos imitamur quoad eius fieri possit lateat, & ut in his, quæ imitamur vel illi ipsi, vel quam simillimi videamur esse. Cum enim Achillis arma Patroclus induit, Achilles non Patroclus existimari volebat, extremū verò præcipiamus imitādum esse parcè, nè ab aliis omnia, nihil a nobis expresisse dicamur, aliud est enim imitatorem esse, aliud scriptorem alienorum: habetis iam omnia, quæ recepi iam satis me torsistis, atq; exagitastis hodie. veniam obsecro date fesso, quam vel

N vobis

vobis inuitis tempus videtur esse daturũ, quod nos ad corpora curanda vocat. Tum adolescens ille, quẽ cæteri primi sermonis auspicem constituerant, desiderant inquit pleriq; quando explicata sunt cætera, aliquid de perorationibus audire, sint nè aliqua ex parte historico vestigandæ, hoc absoluas, expediasq; rogamus non aliter rude donandus, non secus veniã, quam flagitas accepturus. Non eo inficias me subiratum intumuisse, existimaui tamẽ commodius, elegãtiusq; mihi fore dissimulare, atq; parere. Itaq; in hũc maximè respondi modum. Ego quidem aliquẽ finẽ statuo scriptori nostro, quicquid enim incipitur, est necesse finiri, non tamen eadem ratione, qua consueuerunt oratores perorant historici. etenim enumeratione non vtuntur, commiserationes verò fugiunt in vniuersis historiæ partibus, cum ex sua præsertim persona loquuntur, cum autem alienam induunt, cõmiserari licet: cum præsertim oratio ipsa, quæ sit habita describitur vt apud Liuium Locrensium legati Pleminium accusantes, vel Calicdensium bello Persico de iniuriis quærentes, quibus a prætoribus, classibusq; Romanis se violatos lamẽtabantur, vel Perseo superato Rhodiorum, cum Romanorũ iram deprærarentur, non tamen (vt dicebam) eadem est cõmiserationum ratio historico, atq; oratori. In summa perorationes in concionibus, cæterisq; orationibus

lentiores quidem quàm orator, ſed tamen orationi accommodatas. in ipſa verò hiſtoria nihil opus eſt artificioſo termino, ſed eo contentos nos eſſe decet, quem adhibet ipſa natura. Concludendum eſt certè, non tamen modulatè concludendum concluſionibus tamen, & argumenta claudentur, & ſæpe periodi, quod genus concluſionum author Rhet. ad Herennium quarto eius operis volumine figuris videtur connumerare. Sed iam obſecro nob[illegible] con-ſulamus, nè fortè rumpatur arcus, neq[illegible] pu-tationibus ſufficiamus. quæ cum dixiſſet, omnes ſatis dictum eſſe iudicarunt, diſcede[illegible] cenſuerunt, itaq; ſurreximus diſſo[illegible] toq; cætu ad ſuos quiſq; reuertit, vt corpori, videlicet operã daret.

Finis.

Pagina	versu	errata	correcta
9	12	adiciatur	adiiciantur
10	24	extuans	æstuans
19	2	mote	more
20		Conendẽtibus	Contendentibus
20	9	ledunt	lædunt
21	25	In crepat	Increpat
23	24	videantur	videntur
29	6	ille	illæ
31	21	Υπερβατῶν	Ὑπερβατῶν
35	19	an putare	amputare
35	25	affirmat	affirmet
48		figra	figura
52	13	quem	quam
54	1	iudicium	iudicii
59	19	imposterum	in posterum
66	17	præfactione	præfatione
68	1	Entimema	Enthymema
70		desse	de esse
72	14	mutaretur	mutuaretur
83	10	interesse	inter se
84	21	Antinoo a	Antinoo
86		putria	patria

BONONIÆ.

Per Ioannem Rubeum Typographum Venetum Bononiensiq; ciuitate donatum.

Permittente Reuerendo P. Inquisitore.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN